

(f. 186r) INCIPIT LIBER TERTIUS

I. CAPITULUM PRIMUM DE NATIVITATE HABRAEE

Habraam natus est inchoante etate tertia, anno mundi MVIII^C-XLVIII, post dilluvium anno CCLXXXXII, anno Noe VIII^C vel id circa, anno Sem qui et Melchisedech fere CCCC, anno imperii Nini imperatoris Asyriorum XLII, ante conditam Urbem secundum Agustum libro XVIII De Civitate Dei anno MCC, ante conditum Mediolanum anno C, currente in Egipto dynastia XVI^A, et vixit annis Habraam CLXXV. Et anno V^o etatis Habraee Ninus imperator Assyriorum condidit civitatem Ninive, que habuit iter trium dierum; vel potest dici, et verius, quod illam civitatem amplificavit.

Uxor Habraee dicta est Sarra vel Sarray. Et cum factus esset annorum LXXV precepto Dei reliquid terram Caldeorum et intravit terram Canaam, que nunc dicitur Terra Sancta. Et dicit Nicholaus Damascenus quod Habraam fuit factus rex Damasci, ubi usque hodie appetet quidam vicus qui dicitur ‘Vicus Habraam’, et habetur in magna reverentia usque nunc. Ipse Habraam ex ancilla sua dicta Agar genuit filium qui dictus est Ysmael; et factus annorum C ex uxore genuit filium qui dictus est Ysach. Et secundum Clementem in Ytenerario genuit filium qui dictus est Elyophoros; item ex Cethura genuit VI filios, scilicet Zamram, Iezam, Madan, Madyan, Iesboth, Surym, sicut in subiecta patet figura. // (f. 186v)

[Figura 1]

Suer, filius Habraee ultimus, genuit duos filios, scilicet Stibacen et Dadan. Hic Dadan genuit tres filios, scilicet Asurim, a quo Asyria pro-

1 - 15. quidam : quodam B

25 vintia nomen accepit, et Iacusim et Iomni. Madan, alter filius Habraee, genuit tres filios et duas filias. Nomina filiorum sunt hec: Enoch, Abyela et Helda; nomina filiarum sunt hec: Iaffra et Effera sive Affrica, a qua provintia Affrica nomen accepit. Alia soror eius dicta Iaffra Echea tradita fuit in matrimonio Herculi Libico et genuit Dyodorum, qui genuit 30 Soffon, a quo barbari Osoffaci dicti sunt.

II. ABRAAM IVIT IN EGIPTUM

Fame perurgente terram Canaan Habraam cum uxore sua pulcerima in Egiptum ivit et intravit civitatem Tampnis, ubi fuit sedes imperialis pharaonis, ubi Moyses fecit illa signa que scripta sunt in Exodo. Et timens Egiptiorum libidinem dixit uxori sue: «Dic, obsecro, quod soror mea sis, ut si pharo te diligere contigerit, me diligat et non interficiat». Cum autem intrasset Egiptum, pharo audita mulieris pulcritudine ipsam rapuit; quem Deus infirmitatibus dure percussit. Cum autem audiset hoc sibi accidisse quia uxorem peregrini rapuisse, ipsam viro suo restituit et ipsum predivitem fecit. Qui in Egipto primus astrologiam et arismetica docuit, virtute et prudentia pre ceteris prestantior fuit, preceptum de circumcisione primus accepit.

Tandem Habraam civitatem Tampnis, que est in terra Yesse in distan-
15 tia a civitate Damiata per X leucas, intravit. In hac civitate Moyses sua mirabilia fecit; unde dicitur in Psalmo: «Qui fecit prodigia in campo Thanaos»; hic fuit lapidatus Ieremias. De istius civitatis piscariis soldanus recipit omni anno plus quam IIII^M marcharum argenti.

IN MARGINE

Et quia hic facta est mentio de civitate Tampnis, ideo aliqua de ipsa civitate sunt dicenda. Ubi est sciendum secundum Benzium quod tytanes (id est gigantes de quibus supra dictum est) hanc civitatem construxerunt et ex suo nomine numcupaverunt; de qua dicitur in Psalmo: «Qui fecit prodigia in campo Thanaos». Et est in terra Yesse et distat a Damiata per X leucas et habundat ovibus et piscibus supra modum, de cuius // (f. 187r) piscariis recipit soldanus IIII^M marcharum argenti omni anno. Hic Moyses fecit signa de quibus habetur in Exodo, et ibi fuit lapidatus Yeremias propheta. Fuit autem civitas fortissima, nunc autem ruinosa.

III. INCIDENTIA TEMPORUM NATIVITATIS HABRAEE

Isto tempore, scilicet quando natus est Habraam, regnabat in Ytalia in civitate Noecha Noe, magnus mundi imperator. In Iudea in civitate Ierusalem regnabat Sem qui et Melchisedech, primogenitus Noe. In regno Bactrie regnabat Cam, alter filius Noe, qui dictus Zorastres. In Europa regnabat Iaphet filius Noe. In regno Asyriorum regnabat Ninus, totius Orientis dominus. In Egipto superiori, in civitate Thebis, regnabat imperator Alis, qui congregavit in suo exercitu plus quam CCCC-LXXX^M armatorum. In Egipto inferiori in civitate Damiata, que tunc Memphis dicebatur, regnabat Ases pastor habens CCXL^M virorum armatorum, sicut supra dictum est libro secundo capitulo ultimo. In Almania in provintia Boemie, secundum Papiam, regnabat rex Boemus. In insula Cretensi imperabat Demorgegon. In Yspania Thubal filus Iaphet. In regno Siciniorum regnabat Agileus. In provintia Scithia regnabat Gomer filius Yapheth. Et plures alii in diversis regnis diversas possiderunt provintias.

Cum ergo tempore nativitatis Habraee viveret Noe, patet quod antequam moriretur Noe in mundo erant reges, principes et populi sine numero, et civitates multe nimis, ut supra tactum est libro secundo capitulo ultimo.

IV. ABRAEE OCCURRIT MELCHISEDECH

Exeunte Abraam cum uxore de Egipto, reversus est in terram Canaan et habitavit in civitate Nabroth annis VII et divisit terram cum Loth propter iurgium pastorum. Isto tempore terra Sodomitarum florebat in divitiis et potentia militari, et in tantum creverat libido dominandi ut quelibet civitas sibi regem faceret. Erantque ibi quinque reges, scilicet Ballas, Balleas, Synabar, Symoborus et Balinor; civitates quibus preerant, secundum Magistrum in Ystoriis, sunt hec, scilicet Sodoma, Gomora, Adama, Seboys, Balla sive Segor.

Tunc temporis, scilicet anno secundo regni Colladomor regis Ellamitarum, ipse Colladomor superavit has omnes civitates et sibi eas fecit tributarias per annos XII; anno autem tertiodecimo tributum solvere negaverunt. Tunc Colladomor anno XIII regni sui congregavit tres reges, scilicet regem Babilonis et regem Ponti et regem gentium; insu-

15 per convocavit potentiam Asyriorum et sub ducibus Rapsido, Ariocho, Codellamoro et Tadallo totam Asiam subiugavit et omnium gygantium sobolem subvertit. Et venientes in Sodomis pugnaverunt contra quinque reges Sodomitarum supradictos et contra Loth, qui venerat in ipsorum auxilium; et prostrati sunt reges Sodomitarum et captivus abductus est
20 Loth.

Quo audito Habraam cum CCCXVIII vernaculis et sibi adiunctis tribus fratribus amicis suis, scilicet Mambre et Anel et Eschel, irruit super eos hora noctis quinta ipsis ebriis dormientibus in lectis, et interfecit multos. Et persecutus est eos usque Oba, que est in leva Damasci, et liberavit Loth et tullit spolia multa. Cui revertenti occurrit rex Sodomorum, qui petiit ab ipso sibi dari homines quos Asyrii abduxerant et spolia essent ipsius Habraee; sed Habraam dedit utrumque.
25

Tunc temporis erat in castro dicto // (f. 187v) Sale vel Salim, ubi sunt aque multe ubi baptizavit Iohannes Baptista populum, ut habetur in Evangelio. In isto castro regnabat Sem primogenitus Noe, qui dictus est Melchisedech, rex et sacerdos Dei altissimi. Nam secundum Magistrum omnes primogeniti a dilluvio usque ad Aaron erant sacerdotes – Vicentius – qui tria privilegia habuerunt. Primo quod utebantur veste sacerdotali quando offerebant sacrificium et quando in morte patris a patre recipiebant finalem benedictionem. Secundo quia in conviviis habebant duplum ciborum portionem et benedicebant alios minores. Tertio quia in divisione hereditatis recipiebant duplam hereditatis portionem. Hic Melchisedech ministravit Habraee et exercitui eius exenia multa et rerum abundantiam; hic secundum Iosephum condidit civitatem Ierusalem et templum extruxit et super altare optulit panem et vinum. Huic Habraam dedit decimas non de substantiis suis, secundum Apostolum, sed de spoliis hostium. Et ipse Melchisedech secundum Ieronimum obtulit Habraee in civitate Ierusalem panem et vinum et ait: «Benedictus Habraam Deo altissimo qui creavit celum et terram et tradidit inimicos in manu tua». Et dicit Iosephus quod Deus laudavit Habraee virtutem et iussit ei quod offerret sacrificium: qui obtulit vitulam trienem et turturem et columbam; et dixit ei Deus quod semen eius esset peregrinum in Egipto annis CCCC.
30
35
40
45

Sicardus: Habraam certificatus per signa sacrificitorum de successione filiorum, ex mandato Sarray cognovit Agar ancillam suam, que peperit filium qui dictus est Ysmael. Que superbiens contra dominam suam superbivit; cui, cum fugeret a fatie domine sue, angelus eam reverti precepit et ait: «Paries filium qui dicetur Ysmael, qui erit ferus homo: nam manus eius contra omnes et manus omnium contra eum». Item Agar alium concepit filium a quo Perse traxerunt originem. 50
55

V. INCIDENTIA DE IMPERIO SEMIRAMIS

Habrael sive etatis tertie anno LII, imperante Noe in partibus Ytalie circa Romam, anno mundi secundum Eusebium MVIIIICLXXVIII, ante Urbem conditam secundum Agustum anno MCC, ante Christi nativitatem MVIIIICXLII, Ninus rex Asyriorum mortuus est. Et regnavit Semiramis uxor eius pro eo, et regnavit annis XLII; et dicit Trochus quod genuit filium qui dictus est Ninias sive Zameis, qui adhuc parvus erat quando mortuus est Ninus pater eius. Et dicit Magister in Ystoriis quod ipsum filium suum accepit in maritum, ut sic regnare posset, et genuit ex eo filium qui Babiloniam ampliavit. Hec regina Semiramis sanguinem humanum sytivit et effundere desideravit, Etyopiam subiugavit, Indis bella multa intullit, civitatem Babiloniam ampliavit, omnes viros fortitudine superavit, habitum viri portare consuevit, usum bracharum adinvenit. Et, ut videtur dicere Orosius, per filium imperfecta fuit; et dicit Solinus quod Semiramis in Capadotia Asie civitatem condidit quam Melitam appellavit. Item in ripa fluminis Erimanthi in Tapropane Indie aliam civitatem construxit quam Arachosiam appellavit. Isto tempore secundum Agustum regnum Sicinorum sive Archadum erat valde parvum; ubi regnabat Cicrops, secundus ipsorum rex, cuius regni anno XXII, // (f. 188r) secundum Agustum, natus est Habraam. Ab ipso Europe rege secundum cronicas tertia pars mundi dicta est Europa, licet Papias dicat quod dicta sit ab Europa filia Agenoris regis Libie. De provintia Sicinia et eius exordio habetur supra, libro secundo capitulo LXI. 5
10
15
20

VI. INCIDENTIA DE MORTE NOE IMPERATORIS MUNDI

Habrael sive etatis tertie anno LIII, regnante Sem in Ierusalem et Iapheth in Ytalia, mortuo Cham, imperante Semiramide in imperio Asyriorum, regnante Thanao in regno Scitharum, regnante Trabeta in civitate Treveri in Alemania, regnante Thubal in Yspania, Noe magnus mundi imperator, viam universe carnis ingressus est; unde dicit Eustodius quod Noe in civitate Noecha, in partibus ubi nunc est Roma, finem vite et laboris dedit. Et hoc fuit ut habetur in Genesis anno post dilluvium CCCL, anno etatis sue VIII^C<<...>>. Cum autem vidit se esse morti propinquum, advocans filium suum Iapheth ait: «En ecce morior, fac michi sepulcrum in cuius lateribus sint duo foramina; inde manus meas extensas colloca, in signum quod dominus fui mundi et nunc cum manibus vacuis de mundo egredior». Hec ex dictis Bede in libro Ymaginis. Et dicit Phylo et Magister recitat quod Noe in vita sua vidit ex se natos XXIIII^M virorum et centum plus extra parvulos et mulieres. Divisis itaque XXIIII^M viris per V^C et confectis inde civitatibus, resultabunt civitates XLVIII, quarum quelibet haberet V^C viros cum mulieribus et parvulis sibi correspondentibus, qui communiter excedunt numerum virorum in septem partibus plus. Quere supra capitulo LVI.

VII. INCIDENTIA DE REGNO NINIVATIS REGIS ASYRIORUM

Habrael sive etatis tertie anno LXXXV, anno mundi MMXVIII, ante Urbem conditam secundum Agustinum MCXLVIII, ante Christi nativitatem MVIII^C, Ninias qui et Zameis, filius Semiramis et Nini regis Asyriorum, cepit regnare et imperavit annis XXXVIII. De isto dicit Trochus quod, contentus imperio paterno, belli studia depositit et, nutritus a pueritia cum mulieribus, raro a viris visus, in turba feminarum consenuit. Et dicit Sicardus quod frater eius, dictus Theber, intrans Ytaliam et pertransiens in Allamaniam condidit civitatem quam ex suo nomine Treverim appellavit, sicut supra dictum est libro secundo capitulo LXIII. Eo tempore, secundum Agustinum, Thelson rex imperavit in regno Siciniorum; de isto regno habetur supra, libro secundo capitulo

6 – 9. anno : ano B ~ post VIII^C spatiū vacuum (5 fere litterarum) in B 10.
fac : fa B

LVI. Et anno V regni Niniatis natus fuit Ysaac filius Habraee. Hec ex Cronica Benzii.

VIII. INCIDENTIA DE REGNO ARRII REGIS ASYRIORUM

Habraee sive etatis tertie anno CXXXIIII, anno mundi secundum Eusebium MMLVII, ante Urbem conditam secundum Agustinum CLXXXX, ante Christi nativitatem MVIII^CLI, a condito Mediolano anno XXXIIII, Arrius, defuncto Ninja rege Asyriorum, in regno succedens regnavit annis XXX; ubi regnatum est per XXXV reges annis MCCC, usque ad Sardanapallum effeminatum. Hec Benzius.

VIII. DE NATIVITATE YSAAC ET YSMAEL

Habree sive etatis tertie anno LXXXVI, habitante Habraam in valle Mambre iuxta Hebron, de Agar ancila // (f. 188v) sua natus fuit ei Ysmael, de quo dixit Deus quod longo tempore viveret et pater multarum gentium foret. Et anno etatis sue LXXXIV promisit ei Deus quod daret sibi filium ex Sarra uxore sua; et tunc dictus Habraam pater multarum gentium et Sarrai uxor eius dicta est Sarra, et tunc accepit preceptum circumcisionis. Tunc ad ylicem que est in valle Mambre sedebat Habraam (quam arborem dicit Yosephus ab initio mundi ibi fuisse), et venerunt ad eum tres angeli; quorum unus venerat sibi anuntiare de filio nascituro, alii duo subverterunt ⁵ V civitates Sodomitarum, et uxor Loth conversa est in statuam salis. Tunc Loth inebriatus cognovit duas filias suas: prima genuit Moab a quo descenderunt Moabite, altera genuit Aman patrem Amonitarum. Post hec Habraam inde recedens pervenit in Gerera Palestine. Et natus est ei filius qui dictus Ysaac, anno etatis Habraee C, anno Sarry LXXX^o, et VIII die circumciderunt eum. Sicardus: Cum autem esset Ysaac annorum quatuor et Ysmael annorum XVIII et luderent, Sarra intellexit persecutionem. Propter quod Agar cum filio eiecta fuit et habitavit in monte Pharan, in provintia Arabia; que dedit filio uxorem de provintia Egipci. Et genuit XII filios principes qui possiderunt terram ab Evilla, id est Ethiopia, usque Fur. Primogenitus dictus Nabayoth, a quo regio Nabathea; secundus dictus est Cedar, a ¹⁰

9 - 15. Gerera, recte Gerar 16. circumciderunt : circumdederunt *B* 21. terram : terra *B*

quo regio Cedar, que est in deserto; sextus dictus est Duma, a quo Duma regio; nonus dictus est Thema, a quo regio Theman, que est ad Austrum; ultimus dictus est Cedema, a quo regio Cedema que est ad Orientem.
 25 Et omnes isti dicti sunt Ysmaelite a patre et Agareni a matre. Nunc dicuntur Sarraceni qui, secundum prophetiam Sarre, persecuntur legip-timum Habraee. Item Habraam genuit ex Cetura multos filios, sicut supra dictum est, inter quos fuit Affer, a quo Africa est denominata, que est tertie portio mundi, et Asyrium a quo Asyria (vel, ut prediximus, ab Asur filio Sem): hec Sicardus. Cum autem factus esset Ysaac annorum XXV, secundum Sicardum, pater eum ex precepto Domini voluit ymo-lare puero consentiente, sed Deus prohybuit et arietem pro sacrificio ei misit in loco ubi postea Salomon templum construxit. Et post duos
 30 35 annos Sarra mortua fuit anno etatis sue CXXVII et sepulta est in Ebron.

X. QUOD HABRAAM DUXIT UXOREM QUE DICTA EST CETHURA

Habraee sive etatis tertie <anno> CXXVIII, a condito Mediolano XXVIII, Habraam, mortua Sarra uxore sua, duxit uxorem Ceturam, quam Hebrei dicunt fuisse Agar, de qua genuit multos filios, sicut supra dictum est, qui fuerunt viri in sapientia cauti et ad labores validi, qui apprehenderunt Traconitidem et Fenicem et Arabiam usque ad mare Rubrum. Hiis auxilium prebuit Hercules Libius, et duxit in uxorem Iaf-fram nomine Echeam filiam Madan, filii Habraee, que genuit ipsi Her-culi filium qui dictus est Dyodorus, qui genuit Soffon a quo barbari Osoffaci dicti sunt. Interim Ysaac duxit uxorem ; et post pauca mortuus est Habraam anno etatis sue CLXXV, et sepultus est in Ebron cum Sar-ray uxore sua, ubi David regnavit annis VII. Fuit enim antiquitus habi-taculum gygantum. Et supervixit Sem post mortem Habraee annis XXXV. De isto Habraam secundum Augustinum in libro De Civitate Dei per lineam Iacob in annis CCCC descenderunt plus quam VI^{CM} armatorum, exceptis mulieribus // (f. 189r) et parvulis, qui si fuissent divisi in V^C viros et facte fuissent inde civitates, resultasent MCC civi-tates, et quelibet civitas habuisset V^C viros pro armis cum mulieribus et parvulis sibi correspondentibus.
 10 15

XI. DE MEDIOLANO CIVITATE FLORENTISIMA

Isto tempore civitas Mediolanensis constructa fuisse dicitur. Unde invenitur in quibusdam antiquis scripturis quod anno dilluvii sive etatis tertie CCCLXXXII, anno nativitatis Habraee C (quo anno natus est Ysaac), anno ante Christi nativitatem MVIII^CXV, ante Troie excidium CCCCLXXII, ante Urbem conditam MCLXV, anno mundi MM-XLVIII, quidam princeps dictus Ianus Subres Ytaliam inhabitans civitatem construxit, quam ex suo nomine Subriam appellavit, que toti provincie nomen suum accommodavit, quia totum planum Lombardie antiquitus dicebatur Insubria et populi dicebantur Insubres. Unde usque hodie terretorium civitatis Mediolanensis antiquum nomen retinens dicitur Seprium quasi Subrium. Quod autem fuisse hic princeps bynominus patet ex dictis Papie, qui dicit: «Mensis Ianuarius dicitur a Iano sive Subre, eo quod ille mensis sit ianua anni». Ab isto Iano Subre omnes eius successores cognominati sunt Insubres, sicut a primo Cesare imperatore omnes eius successores dicti sunt Cesares. Quidam dixerunt quod Noe construxit Ravenam anno ante nativitatem Habraee CCC-CLXXXII, qui similiter civitatem Mediolanensem fundavit, et hanc opinionem refert Benzius. Sed hoc est impossibile, quia inter dilluvium et nativitatem Habraee non fuerunt nisi CCLXXXII anni; unde si Ravana fuisse constructa ante nativitatem Habraee per annos CCC-CLXXXII, sequeretur quod fuisse constructa ante dilluvium per annos CC, quod non potest stare quia in dilluvio omnes urbes corruerunt. Quod etiam dicitur quod Noe construxit Mediolanum post Ravenam non videtur esse verum, quia Estodius dicit in Cronicis quod Noe habitavit in partibus circa Romam, ubi construxit civitatem sui nominis, ubi et mortuus fuit; nisi quis diceret quod Noe regnavit in Ytalia annis CLII et in spatio tanti temporis, potuit civitatem Mediolanensem et plures alias civitates condere. Unde de hoc estant isti duo versus:

Quinque lustris demptis annis ad mille nogentis
Christo nascente fundatur Subria Subre.

De antiquitate civitatis Mediolanensis habetur infra libro tertio, capitulo LXVIII. De urbe Ravena habetur supra eodem libro capitulo LXVIII, et ibi habetur quod Ravena fuit constructa ante nativitatem Habraee anno LXXVIII, ante urbem Mediolani anno CLXXVIII. De constructione civitatis Mediolanensis habetur una questio disputata infra eodem libro capitulo LXVIII.

35

XII. DE MORTE SUBRES REGIS MEDIOLANENSIS

Cum autem regnasset rex Ianus Insubris in civitate Subria, que nunc dicitur Mediolanum, annis LXXXV, mortuus est; et regnavit Marchomedes Insubris filius eius primogenitus pro eo.

5

XIII. INCIDENTIA ISTIUS TEMPORIS

Isto tempore, scilicet quando civitas Mediolanensis constructa fuit prima vice, ipso anno natus fuit Ysaach // (f. 189v) filius Habraee. In imperio Asyriorum regnabat Ninias, filius Nini et Semiramis regine. In Siciniorum sive Archadum regnabat Europs. Teber filius Nini in Allamania condidit civitatem Treverim. In Egipto imperabant Thebei. In civitate Ierusalem regnabat Melchisedech. In provintia Achaya regnabat Acceus filius Iovis. Et in regno Argivorum regnabat Ynachus, primus ipsorum rex.

5

XIV. DE NATIVITATE ESAU ET IACOB

Habraee sive etatis tertie anno C et Sarre LXXXX, mundi anno MMXLVIII, a condito Mediolano anno C, anno Ysmaelis XIII, natus est Ysaach, qui VIII die circumcisus est. Qui factus annorum XL duxit uxorem que dicta est Rebecha, filia Batuelis et soror Laban, sicut patet supra, libro secundo capitulo LXVII. Hic Ysaac, anno etatis sue LX, anno Habraee sive etatis tertie CLX, anno mundi MMCVIII, Mediolani sive Subrie anno LX, genuit duos filios scilicet Esau et Iacob. Et instantे tempore partus parvuli secundum Magistrum collidebantur in utero, secundum LXX recalcitrabant, secundum Aquillam confringebantur, secundum Symachum mixtim ferebantur, ut alter altero prius nascetur. Ex hoc Rebeca in monte Moria, ubi est Ierusalem, consuluit Mel-

10

chisedech et accepit responsum a Domino, quod duo filii eius erant futuri patres duorum populorum, quia Esau fuit pater Ydumeorum, Iacob fuit pater Iudeorum, et David rex Iudeorum, qui descendit de Iacob, fecit sibi tributarios Ydumeos; unde dixit: «Maior serviet minori», id est populus natus de maiori filio servus populi qui nascetur de minori. Cum Rebeca eos pareret, primo egressus est Esau, totus pillosus et ruffus a planta pedis usque ad capud; ideo dictus est Seyr, id est ‘capilatus’, et dictus est Esau, id est ‘fortis’. Deinde natus est Iacob, qui pedem fratris manu tenebat, quasi volens eum retrahere in uterum matris ne esset primogenitus; et ideo dictus est Iacob, id est ‘subplantator’. Et vixit Habraam post nativitatem parvolorum annis XV; unde dicit Agustinum in libro De Civitate Dei XVIII quod Ysaach sexagenario nati sunt duo filii, Habraam avo ipsorum adhuc vivente et CLX agente; quando autem mortuus est erat etatis annorum CLXXV. Isaac diligebat Esau et Iacob carus fuit genitrici.

XV. INCIDENTIA DE ORTU REGNI ACHAYE

Ipso anno quo nati sunt Esau et Iacob, secundum Agustinum et Ieronimum, inchoavit regnum Siciniorum, quem secundum Magistrum nunc dicitur Achaya, cuius capud est civitas Chorintus. Ysidorus dicit quod Acceus, filius Iovis, hanc provintiam ex suo nomine vocavit Acceam; unde et populi dicti sunt Accei sive Acivi. Solinus dicit quod in Achaya est fluvius dictus Inyacus: ab Inacho rege denominatus est. Quere supra, libro secundo capitulo LXXXVII.

XVI. INCIDENTIA DE REGNO ARGIVORUM

Christi ante nativitatem secundum Orosium MVII^CLXXX, Habraee anno CLXI, Ysaach anno LX, ante Romam secundum Agustinum M XL, mundi MMCVIII, post conditum Mediolanum anno LX, Ysaac genuit duos <filios>, scilicet Iacob et Esau. Isto tempore Nichoforus, qui secundum Sycardum dictus est Ynachus rex, primo // (f. 190r) regnare cepit in regno Argivorum, et regnavit annis L. Eius uxor dicta est Niobes, que genuit filium qui dictus est Foroneus, et filiam que dic-

ta est Io; quam oppressit Iupiter, unde Iuno uxor Iovis eam usque in
 10 Egiptum fugavit, sicut supra dictum est libro secundo capitulo
 <<...>>. Primo nupta fuit Thelegano et genuit Epaphum, qui regnans
 in secunda Egipto condidit civitatem Menphim, id est Damiatam.
 Genuit etiam Inachus rex duos alios filios, secundum Petrum Blesensem. Quorum primus dictus est Phegons, cui facta sunt templa eo quod
 15 docuisset observare tempora per menses et annos; alter dictus Leuntius,
 qui in hora mortis, ait: «Nichil michi defuit ad perfectam felicitatem, si
 uxore caruissem». De ista Io habetur supra, libro secundo capitulo
LXXX. Genus Ynachi in subiecta patet figura.

[Figura 2]

// (f. 190v) XVII. INCIDENTIA QUOD ARGIVI SUNT GRECI

Argivi sunt Greci. Quo autem nomine ista provintia vocaretur tem-
 pore Ynachi regis aut Foronei filii eius non habetur; sed regnante Argo
 5 filio Apis, filium Foronei, ista provintia dicta est Argiva; unde et populi
 dicti sunt Argolici. Hic Argus cepit regnare anno nativitatis Habraee
 IIII^CXXVI ante conditam Urbem VII^CLXXIII; deinde a Danao dicta
 est Danaa provincia: hic Danaus tempore Iosue interfectis L filiis fratris
 10 sui regnum optimuit. Ista provintia in Acrisio rege finita fuit; quem Per-
 seus interfecit, qui timens Argos fugit et regnum ad Nicenos translatum
 autem dicitur Gretia.

XVIII. IACOB SUBRIPUIT BIS PRIMOGENITA ESAU; ET QUE SUNT IURA
 PRIMOGENITURE

Cum autem Esau esset adhuc puer et in venationibus roborasset, et
 domum rediret totus famelicus, et vidisset quod frater eius, dictus Iacob,
 5 preparasset prandium, lentem rubicondam nimis rogavit quod sibi daret
 ad comedendum. Qui facere noluit nisi ei ius primogeniture concede-
 ret: qui fame compulsus primogenita vendidit. Et dicit Vicentius in Speculo
 quod ius primogeniture consistebat in VI prerogativis: Primo quia
 10 utebantur veste sacerdotali quando fiebat sacrificiorum oblatio. Secundo

16 - 13. duos alios : duos alios duos *B* 18 - 9. utebantur : utebatur *B*

quia recipiebant ultimam patris benedictionem. Tertio quia in conviviis et in solemnitatibus benedicebant. Quarto quia recipiebant duplam hereditatis portionem. Quinto quia erat aliorum dominus. Supra, eodem libro capitulo tertio.

XVIII. INCIDENTIA TEMPORUM NATIVITATIS IACOB ET ESAU; ET DE BENEDICTIONE IACOB ET FUGA EIUS

Tempore nativitatis Iacob et Esau, regnabat in civitate Mediolani Ianus Insubris, primus Mediolani rex. Ynachus regnabat in regno Argivorum. In Ierusalem regnabat Melchisedech rex et sacerdos. In civitate Ianiculo, iuxta Romam, regnabat Ianus Quirinus, habiaticus Iani Bicorporei. In Egipto regnabat rex Menfres.

Cum autem Iacob factus fuisset annorum XXX, [in Egipto regnabat rex Menfres. et Iacob factus annorum LXXX,] et Ysaac senuisset et cecus effectus esset, volens benedicere Esau, precepit ut exiret ad venerationem et sibi prepararet cenam. Quo audito mater manibus Iacob pelliculas edorum circumdedit et duos edos pro cena preparavit. Ysaac credidit propter pillos eum esse Esau, et benedixit ei, et primogeniture iura donavit, et eum dominum omnium fratrum suorum instituit. Vicentius. Esau emulante Iacob pro benedictione accepta, ipse Iacob de consilio matris fugit in Mesopotamiam Syrie ad Laban avunculum suum, et in ipso itinere in quodam agro iuxta civitatem Luzam capiti suo lapidem subposuit, que distat a Sichem uno miliario. Et dormiens vidit scalam et angelos, et audivit Dominum dicentem sibi: «Hanc terram tibi dabo et semini tuo». Et Iacob ibi erexit lapidem in titulum et vocavit illam civitatem Bethel. Et vovit Deo decimas si prospere sibi cederet in via. Hanc civitatem construxerunt Iebusei; que prius dicebatur Luza, sed postquam Iacob erexit ibi lapidem dicta est Bethel, id est ‘domus Dei’. Deinde Ieroboan erexit ibi vitulos aureos et dicta est Bethem, id est ‘domus ydoli’. Et procedens inde in // (f. 191r) Syriam pervenit ad Laban, cui servivit XIII annis pro duabus filiabus eius, ex quibus et ex ancilis genuit XII filios, de quibus XII tribus prodierunt. De Lya genuit Ruben,

19 - 8-9. in Egipto... LXXXX expunxi quasi bis scriptum 16. avunculum : avunculum B

Symeon, Levi, Iudam, Ysachar, Zabulon et filiam que dicta est Lya. Ex ancila Lye dicta Zelfa genuit duos filios, scilicet Gad et Aser. Ex altera uxore eius dicta Racel genuit Iosep et Begniamin. De ancila Racel dicta Balla genuit duos filios, scilicet Dan et Neptalim, sicut in subiecta patet figura.

[Figura 3]

// (f. 191v) XX. GENERATIO ESAU

Esau, ut habetur ex Cronicis Ieronimi et Miletii, semper post mortem patris habitavit in Seyr regnans in Ydumea. Ipse enim anno etatis sue XLI duxit duas uxores de filiabus Canaan, cuius sacer fuit Anna filius Sebeon, qui invenit aquas calidas sive termas in solitudine. Hic miscuit onagros asinibus et nati sunt asini vellocissimi. Item amiscuit asinos equabus, et nati sunt muli. Nomina uxorum Esau sunt hec: Alybam, que genuit Hyeum et Hyerom et Choro. De alia uxore dicta Ada, genuit filium qui dictus est Helifaz. De alia uxore dicta Ganida, que fuit filia Ysmael et soror Nabayoth, non sunt ei nati filii. Elyfaz, filius Esau, genuit quinque filios de uxore sua Theman, quorum nomina sunt hec: Theman, a quo civitas Theman nomen accepit, et Omer, et Ofus, et Iochan, et Chanam. Item de concubina nomine Thama natus est filius spurius dictus Amalech, a quo Amalachite nomen acceperunt. Esau habitavit Damascum et dictus est Edon, a quo terra circa Damascum dicta est Ydumea, que prius dicebatur Boffra. Est Ydumee provintie metropolis civitas Theman, unde Helifaz Themanites, et Sueran, unde Baldach Suites. Ex lumbis Esau nati sunt reges, ex quibus fuit Iobab filius Iare, qui dictus Iob, pronepos Esau. Hec ex dictis Sycardi et Iosephi. Generatio Esau in subiecta patet figura.

[Figura 4]

XXI. IACOB REDIIT DOMUM

Iacob finitis XIIIII annis servitii sui, secundum Vicentium, antequam nasceretur Beniamin, postulavit a Laban sacer suo pro uxoris suis et

29. Aser : Afer B 31. Dan : Dam B

servitio futuro, quod quicquid varii coloris ex gregibus nasceretur totum
 esset suum; qui decorticans virgas ex varietate umbrarum nati sunt fetus
 varii. Cumque servivisset annis XX ditatus est valde; qui rediit in terram
 suam et transvadato fluvio Iaboch, qui est in finibus Ydumee, secundo
 miliario a Iordane, in ytinere vidit multitudinem angelorum; et luctatus
 cum angelo emarcuit nervus femoris eius, et deinceps semper cla- (f.
 192r) -udus fuit. Ibi occurrit ei frater suus Esau, et osculantes se invicem
 pacificati sunt. Et cum venisset in Sichem, filius regis Siciniorum concu-
 buit cum Dyna filia eius. Et perveniens ad civitatem Luzam construxit
 altare et vocavit nomen loci Bethel. Et cum venisset in civitate Efrata,
 sive Bethleem, Racel uxor eius peperit filium qui dictus est Benjamin,
 et mortua est Racel. Ubi Iacob erexit pirramide XII lapidum in tes-
 timonium filiorum suorum. Demum pervenit Iacob, secundum Sycar-
dum, in civitate Ebron ad patrem suum Ysaac; ubi deinceps habitavit
 Iacob cum filiis dives nimis, et Iudas filius eius genuit de Thamar nuru
 sua Phares et Zaram. Ysaac anno etatis sue CLXXX, vel secundum Iose-
phum CLXXXV, mortuus est in Ebron, anno post venditionem Ioseph
 XII, et sepultus est in spelunca dupli; licet Moyses preponat mortem
 venditioni, quod dictum est per anticipationem.

XXII. INCIDENTIA DE IANO QUIRINO REGE YTALIE

Isto tempore, scilicet quando Ysaac vivebat, Yanus Quirinus filius
 Helysa, regis Thesalie, de Gretia egressus intravit Ytaliam. Et regnavit in
 civitate Ianiculo iuxta Romam, quam Yanus Bycorporeus avus suus
 construxerat, ut supra dictum est libro secundo capitulo XXXIIII. Et
 quomodo fuerunt VII Iani viri famosi qui regnaverunt in Ytalia, habetur
supra, libro secundo capitulo XXVI. De isto Iano Quirino natus fuit
 Latinus rex Laurentie civitatis, de quo natus est per multas intermedias
 generationes Iullius Cesar primus imperator, sicut supra dictum est libro
secundo capitulo LVIII.

XXIII. INCIDENTIA DE DILLUVIO ACHAYE ET MINERVA

Eodem tempore secundum Sycardum, scilicet anno etatis Ysaac
 CXX, virgo Minerva, sive dea Pallas, apud lacum Tritonidem apparuit;

hec multas artes adinvenit, scilicet lanifitii, sicut supra dictum est libro
 5 secundo capitulo LXVIII. Ipso etiam tempore, scilicet ante urbem
 conditam MXL, in Achaya factum est particulare dilluvium, in quo
 Cyclades insule longo tempore sub aquis submerse non apparuerunt:
 quarum prima dicitur Delos, que sonat ‘manifestum’. Eisdem quoque
 10 temporibus Thesalus rex in Thesalia regnabat, et rex Ogigius regnabat in
 urbe Atrica, quam innovans Eleusim nominavit.

XXIIII. IOSEP YSTORIA ET QUOMODO FUIT VENDITUS IN EGIPTO

Habraee sive etatis tertie anno CCL, anno mundi MMCLXXXVIII, anno Iacob patris sui LXXXX, Mediolani sive Subrie anno CL, natus est Ioseph, vir pulcerrimus et patri suo nimis dilectus. Qui vidit duas visiones: prima fuit quia vidit manipulum suum ex spicis tritici factum stare et manipulos fratrum circumstare et adorare manipulum suum; secunda visio fuit quia vidit solem et lunam et XII stellas adorare ipsum. Propter que sompnia fratres eius indignati sunt contra eum. Qui cum pascerent oves in Sicimis, qui est locus distans a civitate Tyberiadis quarto lapide versus Oriens, et vidissent Iosep ad se venientem, ipsum interficere statuerunt. Sed Ruben antiquior eos multis persuasionibus retraxit, et ligans eum in cisterna ubi non erat aqua plane eum depositus. Deinde Iudas eum // (f. 192v) de cisterna extraxit, et vendiderunt eum Medianitis sive Ysmaelitis mercatoribus per XX libris, cum esset annorum XVII, vel XVI secundum Sycardum. Qui ducentes eum in Egiptum, ipsum vendiderunt Phutifari eunicho magistro militie, qui alio nomine dictus est Pettefre. Qui non fuit eunuchus a pueritia: habuit enim uxorem filiam Iob natam ex Dyna filia Iacob; sed, quia secundum Sycardum et Magistrum, ipse emerat Iosep iuvenem pulcerrimum etatis annorum XVI ut ipso abuteretur, Dominus infrigidavit eum, unde dictus est eunuchus, et factus est sacerdos Helyopeleos, id est ‘domus solis’, et distat secundum Brochardum a Babilonia Egipti per VII leucas. Que postea a Pompeio dicta est Pompeyopolim. Cuius filia dicta est

23 - 8. que : an quod corrigendum (*iuxta Sichardi Chronicam, ms. Clm 314, f. 14v*)?
 10. Atrica, recte Attica (*cfr Sichardi Chronicam, ms. Clm 314, f. 14v*)
 24 - 2. anno : an *B* 16. eunicho : euncho *B*

Asenech, quam postea Iosep duxit uxorem, que genuit duos filios, scilicet Manases et Effraym. Et factus est dominus domus Phutifar. Et man-
sit cum ipso annis fere XII in civitate Tampnis, que erat sedes regalis
pharaonis, de qua supra dictum est eodem libro capitulo secundo.
Eodem anno quo natus est Iosep, regnare cepit in civitate Subria sive
Mediolani rex Mironeus Insubris, et regnavit annis L, ut dicit Karinus in
Cronicis, cui successit Iullius Insubris filius eius.

25

30

XXV. IOSEP DOLO MULIERIS INCARCERATUR

Ioseph, cum esset pulcerrimus, factus annorum fere XXVII placuit
domine sue, que ait illi: «Dormi mecum»; qui scelus aborrens renuit. Illa,
videns se contemptam, illum acusavit viro suo de illata vi. Quod ipse
credidit et Ioseph in carcerem misit, ubi post duos annos pistoris et pin-
cerne sompnia exposuit. Deinde inde extractus, factus annorum XXX,
coram pharaone stetit et sompnia eius de VII bobus et de VII spicis
exposuit, predicens futuram copiam et subsecuturam penuriam. Et hoc
admiratus pharo ipsum ducem Egipti constituit; et pergebat in curru
aureo coronatus et purpura vestitus, in tantum ut pharaonis uteretur
sigillo.

5

10

XXVI. DE EXALTATIONE IOSEPH

Habraee sive etatis tertie anno CCLXXXI, mundi anno
MMCCCCXXVIII, anno Iacob et Esau CXXI, post conditum
Mediolanum anno CLXXXI, Ioseph, factus annorum XXX, sublimatus
est in Egipto; deditque ei pharo uxorem Asenech, filiam Phutifar, vir-
ginem pulcerrimam, que genuit ei duos filios, scilicet Manasen et
Effraym, ut supra dictum est. Collegit itaque Ioseph granum annis VII
tempore abundantie, ut provideret VII annis future inopie. Adveniente
tempore famis apperuit horrea et vendidit Egiptiis, et emit universa
bona Egipti, etiam possessiones preter sacerdotales; que noluit tributo
subiacere, sed demum redidit eas indigenis ad quintam. Misit autem
Iacob X filios suos in Egiptum, qui non cognoscentes Ioseph ipsum
adoraverunt. Ipse non manifestavit fratribus et amplexatus est eos; qui-
bus pharo multa donavit munera. Et redierunt in terram Caanan et nun-

5

10

15 tiaverunt patri suo quod Ioseph filius eius viveret secundus a rege. Et anno ducatus Ioseph XII, mortuus est ille pharo dictus Nefren, qui sublimavit Ioseph, et sequenti anno (qui fuit annus ducatus Ioseph XIII^{us}), cepit imperare alter pharo dictus Amosis, qui imperavit annis XXV, qui alio nomine dictus est Manethon, de quo dicit Iosephus quod, 20 postquam egressus est po- // (f. 193r) -pulus pastorum de Egipto ad civitatem Ierusalem, regnavit Amosis annis XXII (causam talis expulsio- nis nullus posuit). Et istius Amosis anno XVIII obit Iacob. Quere supra,
eodem libro capitulo <<...>>.

XXVII. DE MORTE IACOB

Iacob qui et Ysrael anno secundo famis venit in Egiptum in civitate Tampnis, mense secundo die XXI mensis, anno etatis Ioseph, secundum Sicardum, XXXVIII vel XL et, ut habetur in parva Genesi, tunc erat Iacob CXXX annorum: erat autem capud eius candidissimum sicut nix, et barba candida sedens super pectus eius, oculi fulgurantes et nervi et brachia firma, pedes et crura ut gigantis, et fuerunt cum eo LXX anime que egressse erant de femore eius. Cui advenienti <occurrit> in terram Gessen, que secundum Sycardum postea dicta est Theba, in qua beatus Mauritius princeps fuit, que postea dicta est Civitas Heroum, de qua supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Deinde venit ad pharaonem in civitate Tampnis; cui pharo dedit terram in civitate Heliopoli, et vixit in Egipto annis XVII, et mortuus est anno etatis sue CXLVII secundum Sycardum, vel CLIII secundum Benzium. Et transtulit Ioseph corpus patris sui in Ebron et multis expensis sepelivit eum in spe- lunca dupli cum Adam et Eva, licet aliqui dicant magnum Adam fuisse sepultum in Calvaria, sicut supra habitum est libro primo capitulo <<...>>. Et dicit Benzius in Cronicis quod tempore mortis Iacob rex Pharo regnabat apud Scicinos et imperator Baleus regnabat apud Asyrios.

26 - 14-15. quibus : qui *B* 27 - 5. candidissimum : candisimum *B* 6. fulgurantes : fulgrantes *B* 8. occurrit *supplevi iuxta Sichardum*, ms. *Clm 314, f. 15r*

XXVIII. DE MORTE IOSEPH

Isto tempore, scilicet quando Ioseph fuit positus in carcere secundum Sycardum, pharo qui et Nefren ipsum incarcерavit et postea exaltavit. Et completa fuit dynastia Thebeorum et cepit currere dynastia pastorum, quod fuit nomen accommodatum regie dignitati, propter honorem Ioseph et fratrum suorum, qui dixerunt: «Viri pastores sumus». Hic pharo genuit filium qui adamavit Asenech uxorem Ioseph; quam, cum opri-
mere voluissest Benjamin frater Ioseph ipsum lapide mactavit, qui tertio
die mortuus est. Et post pauca pharao factus annorum LXXXVIII
mortuus est et reliquid imperium Egipti in manu Ioseph annis XLVIII,
eo quod filius eius adhuc sugebat ubera. Et cum regnasset Ioseph in
Egipto sub quinque regibus annis LXXX, mortuus est.

29. INCIDENTIA TEMPORUM MORTIS IOSEPH

Habraee sive etatis tertie CCCLXI, mundi anno MMCCCVIII, anno
pharaonis Menfres regis Egipti VIII^o, post conditum Mediolanum anno
CCLXI, Ioseph anno etatis sue CXL mortuus est in Egipto, nec inde
fuit amotus donec filii Israel egressi sunt de Egipto. Et dicit Iosephus
quod alii fratres Ioseph postea translati sunt in Ebron, postea in Siccen.
Isto tempore secundum Benzium in regno Asiriorum regnabat rex May-
meteus. In regno Sicciniorum regnabat rex Plemeus, et secundum Kari-
num in Cronicis in civitate Subria sive Mediolano rex Iullius Insubris,
qui cepit regnare anno etatis Ioseph L et regnavit annis LXXX, qui
fuit annus mortis Ioseph. Mortuo Iullio Insubre, regnavit Archileus Insu-
bris filius eius, annis XXXVIII; cui successit in regno Mediolani // (f.
193v) Manasen filius eius, qui regnavit annis XLV.

30. DE SERVITUTE HEBREORUM IN EGIPTO

Mortuo Ioseph, anno imperii Menfres regis Egipti VIII^o, hic
Menphres, qui ignorabat beneficia que fecerat Ioseph Egiptiis, populum
Hebreorum multipliciter affixit. Et cepit servitus Hebreorum, que dura-
vit CXL annis, vel secundum Augustinum CXLV, ut impleretur nume-
5

rus CCCCXXX annorum a prima promissione facta Habraee usque ad dationem legis. Sed Iosephus dicit quod Hebrei CCCC annis in misericordiis in Egipto tempus consumperunt.

31. PROPHETIA IACOB DE CHRISTO

Iacob in hora mortis sue, ut dicit Vicentius in Speculo, coram filiis suis de Christo miro modo prophetavit. Ille prophetie mixtim et breviter hic colliguntur secundum ordinem articulorum fidei. Dicit enim: «De stripe Iuda nascetur virgo habens stollam bisinam, sive vestem albissimam. Et de ista virgine nascetur agnus inmaculatus. Hic est Agnus Dei, gratia salvans omnes gentes et Israel, et regnum eius erit eternum, quod non preteribit. Dominus Deus magnus apparebit in terra ut homo, et corpus assumet, et comedet cum hominibus. Orietur astrum eius in celo, et ipse resplendebit sicut sol in terra; celi aperientur super ipsum, et ex templo glorie veniet sanctificatio cum voce paterna, et ipse effundet spiritum gratiae super vos, et eritis filii eius in veritate. Hic erit ex Levi sacerdos et ex Iuda rex, Deus et homo, mediator Dei et hominum, qui tollet omnes tenebras de sub celo, et erit pax in universa terra. Et vos finaliter impie agetis contra eum, et principes sacerdotum imponent manus super eum, et exterminabunt et interficiant eum, nescientes eius rationem. Innocentis sanguinem super capita vestra recipietis. Et in passione Altissimi petre scindentur, sol extinguetur, aque siccabuntur, ignis tumescet, omnis creatura turbabitur, invisibilis spiritus liquefaciens et infernus spoliabitur. Ipse aperiet portas paradisi, et stare fatiet minantem gladium adversus Adam, et dabit sanctis comedere de ligno vite, et Belial ligabitur ab ipso. Tunc videbitis Enoch, Noe et Sem, Habraam, Ysaac et Iacob, me patrem vestrum, resurgentes a dextris in exultatione. Et dabit potestatem filiis suis ad conculcandum super pernitiosos spiritus, et quoquot crediderunt in terra gaudebunt; tunc omnes resurgent: hii quidem in gloriam, hii autem in ignominiam. Et iudicabit imprimis Israel, quia non crediderunt ei». Et plura talia ibi habentur.

30 - 7. sed Iosephus : secundum Iosephum *B* 31 - 3. ille prophetie : illas prophetias *B* 23. a : ad *B*

32. INCIDENTIA DE SERAPI DEO EGIPTORUM

Isto tempore, quando Iacob erat in Egipto, secundum Agustinum libro XVIII De Civitate Dei, Apis rex Argivorum, filius Foronei regis, navibus transvectus intravit Egiptum; qui ibi moriens dictus est deus Serapis, cuius origo habetur supra, eodem libro capitulo XV. Hic Apis deus Egipti, secundum Sycardum, in Egipto condidit civitatem Menphyn, sed Solinus dicit quod fuit Amphrion, sed destructam secundum Benzium Apis reparavit. De ista civitate habetur superius libro secundo capitulo XLI. // (f. 194r)

33. DE MULTIPLICI SERVITUTE HEBREORUM

Habraee sive etatis tertie CCCLXI, Mediolani sive Subrie anno CCLXI, mortuo Ioseph, imperante in Egipto rege Menphres, dyabolus, presagiens Christum esse de Hebreis nasciturum, populum illum extingue nitebatur. Unde inmisit in cor pharaonis ut oderet Hebreos, et statuit affligere eos in luto et latere ad murandum civitates Phyton et Ramesen in finibus Egipti. Et dicebantur civitates tabernaculorum, quia ibi ponebat pharo armatos ad custodiam Egipti, sicut in tabernaculis. Et videns eos multiplicari precepit obstetricibus ut masculos interficerent et feminas conservarent ut Egiptiorum libidini deservirent. Tunc temporis, quidam scriba legis doctor, qui futuros eventus erat solitus predicere, ait: «Isto tempore ex Hebreis nascetur parvulus qui destruet imperium Egipti».

34. INCIDENTIA DE ADVENTU ETHIOPUM IN EGYPTO

Anno XXXXIII secundum Sycardum servitutis Hebreorum, imperante apud Egiptios Amenophis qui dictus est Menopen, Ethyopes a flumine Indo surgentes venerunt in Egiptum et superaverunt Egiptios. Tunc dictum fuit Egiptiis: «Surget ex Hebreis vir qui vos liberabit de manu Ethiopum». Et dicit Methon in Cronicis et refert Iosephus quod rex Ethiopum nomine Sualitis, cuius filia dicta Trabis adamavit Moysen. Et fuerunt cum isto rege plus quam CCXL^M Ethiopum; et superavit civitatem Menphyn, id est Damiatam. Et in ripa fluminis Evagus

10 construxit civitatem quam appellavit Monopothe, quam altissimis muris communivit, in qua totam suam gentem posuit. Et regnavit in inferiori Egipto rex Sualitis annis XVIII, cui successit in regno rex Beon, contra quem pugnavit Moyses, ut infra dicetur. Isto tempore in civitate Mediolanii regnabat Archileus Insubris.

35. INCIDENTIA DE PROMOTHEO

Habraee sive etatis tertie secundum Ieronimum CCCXXX claruit Prometheus qui, cum esset sapientissimus, homines feroce domuit et mansuetos fecit: ideo dicitur quod fecit ex luto homines, primus anulum invenit, sed ferreum, et inclusit gemmam et vocavit ‘ungulum’, quia sicut unguis carne ita gemma metallo circumdatur; et statuit portandum in digito medico, quia ibi usque ad cor vena pertingit. Unde usque hodie sponsa dat viro anulum ferreum et sponsus dat anulum alterius metalli. De isto Prometheo habetur in Poetario et in tractatu de principibus illustribus quod, videns post mortem gygantum hominum paucitatem, tulit lutum et formavit inde hominem; et superveniens Minerva dea sapientie ipsum in clipeo suo impositum usque ad celum detulit. Qui videns corpora celestia esse animata et flamantibus nutriti vaporibus, quandam faculam quam manu tenebat, occulte rote solis apposuit et ignem furatus fuit; quem ad terram deferens et ex igne Pandoram, id est animam, formavit; quam pectori statue lutea quam fecerat apposuit et illud corpus animatum redidit. Et propter istud furtum traditus fuit deo Mercurio puniendus, quem ipse Mercurius in monte Cauchaso ad sassum re- // (f. 194v) -ligavit et aquilam sive vulturem cordi eius apposuit qui eius cor roderet in perpetuum. Hoc exponens Servius ait quod Prometheus interpretatur ‘Dei providentia’. Ipse, cum esset maximus philosophus et astrologus excellentissimus, primus in monte Caucasso commoratus, multa sollicitudine cognovit cursus syderum et defectus ipsorum; hanc scientiam Asyriis indicavit. Didicit insuper rationem fulgoris sive tonitruui, quam hominibus tradidit. Hoc totum fecit Minerva, dea sapientie, quia propter suam sapientiam dictus est furari ignem de celo et ad terram portasse et lutee statue imposuisse, quam redidit ani-

matam; de celo, id est de altissimo monte Caucaso, scientiam astrologie, que est de corporibus celestibus, donavit hominibus rudibus et bestialibus, et eos fecit sapientes et magnos phylosophos. Quod autem Mercurius dicitur eum ligasse, secundum Petronium pro tanto dictum est, quod Mercurius est deus rationis et prudentie qui corde eius apposuit aquillam, quia atrox fuit eius sollicitudo, que cor eius inquietabat, precipue propter invidorum detractionem; sed saxo fuit aligatus, quia sapiens propter detractiones non conturbatur, sicut nec saxum potest faciliter de loco suo tolli.

36. INCIDENTIA DE PROMOTHEO ET EIUS ORIGINE

Isti Prometheo, sicut habetur in libro qui dicitur Ymago mundi, fuerunt tres fratres, scilicet Athlans et Hesperus et Epymetheus vel Epymachus. Ubi est sciendum quod Celius rex Cretensis, pater Saturni, genuit filium qui dictus est Tytan qui genuit VIII tytanes, quorum unus dictus Sapetius vel Iapetus, qui genuit quatuor supradictos fratres, scilicet Prometheus, Athlantem, Hesperum et Epymetheus. Prometheus genuit Deucalion. Hesperus, rex Ytalie, genuit tres filias dictas Hesperides, scilicet Elgen, Aretusa et Hesperetusa. Atlans de Plya filia Oceani genuit VIII filias, que dicte sunt Plyades a matre et Athalantides ex patre, quarum nomina sunt hec: Maya, mater Mercurii et concubina Iovis. Secunda dicta Electra, concubina Iovis et mater Dardani. Tertia dicta fuit Stenopes, concubina Martis et mater Parchon et Celben. Quarta dicta est Meropis, que fuit virgo perpetua. Quinta dicta est Celeno, concubina Neptuni. Sexta dicta fuit Tayeta vel Tayeten, concubina Iovis et mater Tantali et Apollinis et Thesali et Lacedemon. Sexta dicta est Altione, concubina Neptuni. Septima dicta est Pyrra. Hec septem sorores, ab insula dicta Hesperida, dicte Hesperides. Papias dicit quod Athlans ex quadam filia Oceani genuit XII filias: ex his quinque dicte sunt Ynades, a fratre suo Ynade defuncto, in cuius morte propter nimium fletum defecerunt pre dolore. Aliie VII dicte sunt Plyades, eo quod de quinque sororum suarum merore VII de reliquis sibi mortem concisae sunt. Et

36 - 16. Apollinis : Apollo *B* ~ sexta, *sic B* 21. quinque : quaque *B*

quia fuerunt plures que consenserunt, Plyades a pluralitate dicte sunt.
 Quidam dixerunt quod iste VII sorores dicte Plyades, similiter dicuntur
 25 Nimphe, et fuerunt meretrices: Ambroxia, Eudora, Plutis, Coronis,
 Polixo, Phyto et Thyone. Unde versus:

Plyades incipiunt humeros sublevare paternos
 que septem dici possunt sex tamen esse volunt.
 Seu quod in amplexu cuncte venere sorores.
 30 Nam Steropen Marti concubuisse ferunt, // (f. 195r)
 Neptuno Altion et te, formosa Celleno,
 Mayam et Ellectram Tayetamque Iovi
 septima mortali Sisiphe Meroren nupsit
 penitet et facti sola pudore latet.

35 Horum omnium generatio patet in subiecta figura.

[Figura 5]

37. INCIDENTIA DE ATHLANTE; ET QUOD FUERUNT TRES ATHLANTES

[Figura 6]

Eodem tempore secundum Sycardum claruit Athlans frater Promothei supradicti; hic claruit temporibus Argi regis Argivorum, secundum quod dicit Ieronimus, anno nativitatis Habraee sive etatis tertie CCCCXL, anno ante urbem conditam VII^CLX. Et nota, secundum Benzium in Cronicis, quod fuerunt tres Athlantes viri famosi. Primus dictus est Athlans Archadicus, sive natus de Archadia; et iste fuit frater Promothei, et iste genuit supradictas VII filias meretrices. Secundus dictus est Athlans Maurus a provintia Mauritania, que // (f. 195v) est in Affrica; et iste dicitur Athlans Maximus, cuius filie tres dicte Hesperides dicuntur custodisse poma aurea. Tertius dictus est Athlans Ytalicus, qui

genuit VII filias dictas Plyades, quarum una dicta est Maya mater Mercurii, allia dicta est Electra mater Dardani. Ubi est sciendum quod Athlans Ytalicus genuit filiam que dicta est Ellectra; que facta concubina Iovis genuit duos filios, scilicet Theucrum et Dardanum; de quo dicit 15
Papias quod Dardanus, a Latio sive Ytalia profectus, perrexit in Frigiam; de quo natus est Erictonius; de quo natus est Tros, a quo Troya fuit denominata. Ex quo apparet quod Troyani descenderunt de Ytalicis. De his pluribus Athlantibus Virgilius in VII^o Eneydorum facit errorem, ut dicit 20
Albricus.

38. INCIDENTIA DE EPHIMACO

Alter frater Promethei et Athlantis dictus est Epymachus, qui genuit Pyrram. Unde Ovidius: «Hic Promethiades placidos Epymathita dictis iubet» et cetera. De quorum stripe fuit Fastidam, qui genuit ex Terra regina XII gygantes qui fuerunt viri fortissimi; quorum nomina sunt hec, scilicet Typheus, Briareus et alii X. 5

39. INCIDENTIA DE HESPERO REGE YTALIE

Alter frater Promethei dictus est Hesperion, qui genuit tres filias que ab insula Hesperiade, in qua fuerant nutritae, dicte sunt Hesperides; quarum nomina sunt hec: Eglen, Aretusa et Hesperetusa. Hec fuerunt custodes aureorum pomorum cum vigili dracone, in obsequium Iunonis. Et de isto Hespero dicitur in libro qui intytulatur Ymago mundi quod Hesperus, frater Promethei et Athlantis, regnavit in Ytalia, quam ex suo nomine Hesperiam nominavit. Et Papias dicit: Hesperia est Ytalia, ab Hespero rege denominata. 5

40. INCIDENTIA DE EPYCHO

Alter frater Promethei, secundum Sycardum, dictus Epychus fuit; qui genuit Pyrram. Claruit etiam Argus oculos C habens. Et in regno Argivorum Calitias primo functus est sacerdotio. Tunc etiam Telchines exules Rodum condiderunt. 5

37 - 14. genuit : qui genuit *B* 19. VII^o, *recte* VIII^o 38 - 3. dictis (*iuxta Ov. Met. I 390*) : ditis *B* 39 - 5. aureorum : aurorum *B* 40 - 1. Epycho, *recte* Epimacho

41. INCIDENTIA DE MERCURIO; ET QUOD FUERUNT QUATUOR MERCURII

[Figura 7]

Fuit etiam istis temporibus, secundum Sycardum, Mercurius nepos Athlantis, vir facundissimus et multarum artium adinventor; secundum Ieronimum Mercurius claruit anno nativitatis Habraee CCCCXL, anno ante urbem conditam VII^CLX, ante Christi nativitatem MV^CXII. Ubi est sciendum quod fuerunt plures Mercurii: unus cognominatus est Trimegistus, id est ‘ter maximus’, et alio nomine dictus est Enoch; et iste fuit natus in Egipto, primus fuit inventor scientie stellarum, et ordinavit fieri festum in omni introitu solis in aliquo signorum. Et, ut habetur in libro de vita phylosophorum, ipse recessit de Egipto et circuivit terram, et construxit civitates CVIII, et invitavit homines ad obediendum deo, et cognominatus est Mercurius // (f. 196r) Maior. Et iste fuit tempore Moysi, sed cuius filius fuerit non habetur. Alter fuit Mercurius tempore Gedeonis iudicis Ysrael; hic secundum Ugonem natus est in Archadia, ex Iove et ex pellice Maya filia Athlantis; qui fuit tante pulcritudinis quod Iuno neverca eius, que odivit omnes filios Iovis natos de meretrio, istum in tantum dillexit quod credatur ipsum lactasse. Fuit tante sapientie ut, licet esset mortalis, natus vel eruditus crederetur a deo. Et dicitur quod fuit ita peritus in arte medicine quod cum virga sua et herbis mortuos ab inferis revocaverit, quia infirmos fere mortuos sanabat. Hic post mortem inter deos relatus est, a quo quedam stella dicta est Mercurius, qui regnat in virgine, dominatur aque, semper est cum sole, preest facondie sive eloquentie. Disponit enim ista stella ad eloquentiam; unde Actuum XIII dicitur quod gentilles vocabant Paulum Mercurium, eo quod dux esset eloquii. Tertius Mercurius qui cognominatus est Hermes, et iste fuit Italicus; et a Migda pastore Agrigentino in insula Sicilie, vel a Fauno rege Ytalie lyram et armonias didicit, et instrumenta diversarum vocum adinvenit, et lyram Orpheo tradidit, qui istius rei precipue studiosus fuit. Hic pingitur capite canino, habens allas

in capite et in pedibus, habet in manu virgam innexam serpentibus, et dicitur quod est velox et errans et magister furti et deus mercatorum. Per canem intelligitur sagacitas, per virgam serpentinam dolositas, per allas vellocitas, quia nulla ars est magis dolosa nec magis indigens astutia quam ars mercatorum, nec que indigeat tanta eloquentia; unde Mercurius dictus est quasi sermo medius inter mercatores, scilicet ementes et vendentes, habet allas quasi nichil vellocius sermone. Quartus Mercurius fuit ante diluvium, qui dictus fuit Iubal, de quo habetur supra, libro primo capitulo LXXIIII.

35

42. DE MOYSE YSTORIA

Habraee sive etatis tertie CCCCXXV, anno mundi II^MCCC-LXXXIII, a prima promissione facta Habraee CCCL, Mediolani sive Subrie anno CCCXXV, natus est Moyses in Egipto, cuius pater dictus est Amaranus et mater nominata fuit Iochabeth. Et habuit Moyses fratre 5 trem qui dictus est Aaron et sororem que dicta est Maria, sicut patet in arbore que habetur supra, eodem libro capitulo XVIIII. Et currebat annus XXVI regni Amenophys imperatoris Egipti, qui alio nomine secundum Sycardum dictus est Menopen. Tunc sacer scriba Egipti predixerat patri Moysi quod puer natus ex eo subverteret Egiptum et libera 10 raret Hebreos de servitute Egypciorum. Et quia statutum erat, ut supra dictum est, quod omnes masculi Hebreorum interficerentur, ne Moyses moriretur, absconderunt eum tribus mensibus parentes eius; quem non vallentes eum ulterius occultare, posuerunt parvulum in quadam vase rotondo ex viminibus complicato, quod dicitur fiscella, et Maria soror eius fiscellam posuit in flumine respiciens quo tenderet. Filia Amenophys (qui dictus est alio nomine, secundum Sycardum, Menopen) imperato 15 ris dicta Athermuth, videns fiscellam iussit portari ad se; que videns puerum pulcerrimum gavisa est, et quia carebat liberis ipsum in filium adop- // (f. 196v) -tavit et Moysen nominavit, eo quod de aquis fuisset assumptus, et tradidit eum nutriendum cum omni diligentia Iochabeth matri eius, ignorans quod mater eius esset. Que nutritus eum tribus annis. Et factus annorum LXXX factus est dux populi Iudeorum; et anno etatis sue CXX mortuus est.

10

15

20

43. INCIDENTIA TEMPORIS NATIVITATIS MOYSI

Tempore quo natus est Moyses in Egipto, secundum Agustinum in libro XVIII De Civitate Dei, imperabat in regno Asyriorum rex Fafrus, et in regno Siciniorum rex Ortopolis, et in regno Argivorum rex Acri-sius. Et secundum Varrum regnabat Athenis rex Granaus, successor Cecropis regis Atheniensium. Et in Mediolano, secundum Karinum in Cronicis, regnabat rex Manasen Insubris annis XLV, cui successit Athis Insubris filius eius, qui regnavit annis LXXXV.

44. QUOD MOYES DUXIT ETHYOPISAM IN UXOREM

Moyses factus annorum trium, ablactatus, traditus fuit regine Athermuth, que ipsum portavit ad regem patrem suum. Cui rex coronam imposuit, in qua erat unus lapis pretiosus, in quo erat sculpta ymago dei Hamonis. Puer coronam depositus et ad terram proyecit et lapis de corona cecidit; quod augurium fuit quod Egiptum erat subversurus. Et dicit Magister quod sacerdos Helyopoleos, qui sedebat in dextra regis, exclamans ait: «Hic est ille puer de quo dictum est quod deberet occidi ut de cetero timore careamus». Unde puerum interficere voluit, sed rex ipsum liberavit. Tunc quidam sapiens ait: «Hoc non est prodigium, sed casu est factum». In cuius argumentum prune ignis puero oblate fuerunt; quas puer ori apposuit et de cetero impeditoris lingue fuit. Factus autem vir contra Ethyopes missus est; qui vadens per desertum premisit ybices que devorarent serpentes; et obsidens civitatem Sabba, que et Mero dicitur, auxilio Trabis filie regis Ethyopum civitatem optinuit, quam uxorem accepit. Quam derelinquere volens, cum esset astrorum peritissimus, secundum Magistrum, annullum oblivionis uxori fabricavit, unde ipsum abire permisit. Qui rediens in Egiptum, cum pervenisset ad fratres suos in terra Gessen, vidi Egiptum percutientem Hebreum; quem occisum abscondit sabulo. Quod cum palam factum esset, timore pharaonis fugit in terram Madyan circa mare Rubrum, ubi accepit uxorem Sephoram filiam Ietro sacerdotis, qui alio nomine dictus est Raguel, que peperit ei duo filios, scilicet Gerssan et Helyezer. Post multum vero temporis mortuus est rex Amenophis, et successerunt plures qui omnes regali nomine dicti sunt pharaones; qui omnes afflixerunt Hebreos. Qui omnes cla-

43 - 3. Fafrus, recte Safrus 7. annis : anis *B* 44 - 20. palam : pallam *B*

maverunt ad Dominum, qui apparuit Moysi in monte Syna in flamma ignis, in medio rubii qui non comburrebatur; qui mons in parte sui dictus est Oreb. Cui precepit Dominus quod rediret in Egiptum et diceret pharaoni quod populum Hebreorum dimitteret libere abire, deditque ei signum in virga et manu et aqua. Cum autem Moyses rediret in Egip-
30 tum cum uxore et filiis, in itinere circumcidit filium, et reversa est Sephora uxor eius in Madyan ad patrem suum. Moyses // (f. 197r) autem stetit coram pharaone qui secundum Magistrum dictus est Centres completis annis servitutis CXLIII.

45. GENERATIO MOYSI ET AARON

Moyses genuit de Sephora uxore sua, ut dictum est, duos filios scilicet Gerssan et Helyezer. Aaron frater eius quatuor habuit filios, scilicet Nabud, Abyu, Eleazarus et Ythamar, sicut in subiecta patet figura.

[Figura 8]

46. GENERATIO SATURNI ET IOVIS

Isto tempore, secundum Petrum Cluniacensem in Cronicis, in insula Cretensi regnabat rex Saturnus, filius regis Celii. Ubi est sciendum quod Celius proprio nomine dictus est Poris et Omagiona, quem Saturnus filius eius castravit, et tunc dictus est Cellum sive Celius, quia sicut in celo nichil nascitur, ita de homine castrato nichil generatur. Hic rex Celius genuit quatuor filios sicut supra dictum est libro secundo capitulo XLVI; nomina filiorum sunt hec, scilicet Occeanus, Tytan, Phocrus et Saturnus. Item genuit duas filias scilicet Ream et, secundum Ysidorum, Venerem magnam, de quibus per singula dictum est supra, libro secundo. Saturnus eunuchato patre suo regnum Cretense usurpavit et sororem sua Ream in uxorem duxit, que cognominatur secundum Papiam Terra et Ops. Quam cum videret pregnantem, sopmniaavit quod pareret filium qui ipsum castraret et de regno eiceret; unde precepit uxori ut quicquid pareret sibi presentaretur. Cum autem natus esset filius dictus Iupiter sive Iovis, mater ipsum abscondit sub Ydeo colle, ubi tauri ferrarii habitant, ut ipsorum sonitu et clamore puer vagiens non audiretur.
5
10
15

46 – 16. tauri *B*, *an fabri corrigendum?*

20 Cum autem Saturnus puerum a matre quereret, ipsa respondit quod peperisset unum lapidem qui dicitur abdyr; quem oblatum Saturnus ipsum comedit. Unde dicit Papias quod puerum invenit et iussit eum proici in silvam, quem capra silvestris lactavit et nutritivit; propter quod Iupiter factus magnus ipsam stellificavit et dicitur signum capricorni. Unde Ovidius Fastorum de isto Saturno sic dicit:

25 Redita Saturno sors hec erat, op- // (*f. 197v*) -time regnum
Anathoys excutiere sceptris.
Ille suam metuens, utramque edita prolem,
devorat inmeritam visceribusque premit.

30 Item rex Saturnus genuit multos alios filios, quorum nomina sunt hec, scilicet Neptunus, Pluto, Chyron, Mesapus, Genuus, Amicus, Eri-
genes et Pycus, et Typhon gigas permaximus. Item genuit filias, scilicet Semyramis, Venus Iunior, Cererem, Vestam et Iunonem, Cybelles Byre-
quentiam, que secundum Papiam fuit mater omnium deorum. Unde Ovidius Fastorum:

35 Ex Ope Iunonem memorat Cereremque creatas:
tertia Saturni semine Vesta fuit.
Iupiter astra, fretus Neptunus, Tartara Pluto,
regna paterna tenet tria quisque suum.

47. SATURNO HABUIT PLURA NOMINA

[Figura 9]

Pluribus autem nominibus Saturnus fuit cognominatus. Nam proprio nomine dictus est Haberides, sicut supra dictum est libro secundo capitulo <<...>>. Cognominatus est autem Saturnus a sarziendo, quia

19. quem : quam *B* 25. sceptris : sceptis *B* 31-32. Byrequentiam, *recte* Berecyn-
thiam

docuit in Ytalia agriculturam. Item Theuch, id est ‘devorator’, quia filios suos devoravit. Item Cronos, id est ‘temporaneus’: ipse enim vixit ultra comunem modum aliorum hominum. Item Nembroth, propter corporis sui magnitudinem. Item Stercutius, quia primus docuit agris stercore inmittere. Item dictus est Bellus. Et nota quod fuerunt quatuor Belli viri famosi, scilicet Bellus rex Assyriorum, et Bellus Priscus pater Agenoris, et Bellus pater Didonis, et iste Bellus Saturnus. Iste Saturnus sicut habetur in libro De Geanologia Deorum, dictus est origo deorum et deus totius prosperitatis, quia omnes filii eius et filie inter deos aut inter stellas relati sunt, ut infra dicetur in locis suis.

48. SATURNUS PRIMA VICE INTRAVIT YTALIAM CUM IOVE FILIO SUO

Cum autem Saturnus regnaret in insula Cretensi, Typhon filius eius, gigas per maximus, eius regnum usurpare cupiens congregavit gygantum multitudinem. Ex altera parte Saturnus congregavit multitudinem hominum deificatorum. Et comissa est pugna, et fugatus est Saturnus de Grecia in Egiptum: quem Delthon hospitio recepit, et propter hoc astrum promeruit quod dicitur Strangulum. Deinde cum filiis et filiabus de Egipto ad Italiam navigavit; unde dicit Eutropius quod Saturnus intravit Ytaliam cum Iove filio suo et Venere filia sua et cum pluribus aliis filiis et filiabus et Grecorum multitudine innumerabili, quia cum magna parte Grecie fugatus fuit. Et nota quod fuerunt tres mulieres dicte Venus. Prima fuit filia Celii regis Cretensis et soror Saturni, de qua loquitur Ysidorus. Secunda fuit filia regis Saturni, et fuit dea pulcritudinis et luxurie, que genuit filium qui dictus est Cupido; et ista intravit Ytaliam cum patre et stellificata celum promeruit. Tertia dicta Venus fuit uxor Anchisis Troyani et mater Enee. Genus Saturni in subiecta patet figura. // (f. 198r)

[Figura 10]

49. INCIDENTIA TEMPORIS QUO SATURNUS INTRAVIT YTALIAM PRIMA VICE

Habrael sive etatis tertie anno CCCCL, mundi II^MCCCCVIII, post conditum Mediolanum anno CCCL, cum Moyses factus esset annorum XXV, Saturnus rex in insula Cretensi per filium suum Typhon gigantem de regno suo fuit expulsus, et intravit Ytalam prima vice cum deo Iove filio suo et Venere Magna filia sua; unde dicit Eutropius quod Saturnus intravit Ytalam cum Iove filio suo. Et Iacobus de Voragine dicit in Cronicis quod tempore Moysi, multiplicatis hominibus habitatoribus in partibus Orientis, intraverunt Ytalam Janus, Saturnus et Nembroth. Et nota quod Saturnus altera vice fuit de Gretia expulsus per Iovem filium suum, ut infra dicetur. Tunc temporis, quando Saturnus prima vice intravit Ytalam, fere omnes filii eius dicti dii et filie dicte dee cum ipso Ytalam intraverunt; ex quibus aliqui redierunt cum patre in Gretiam, et plures remanserunt in Ytalam, ut Venus cum Cupidine filio suo et Pluto et multi alii, ut habetur supra, libro secundo capitulo LXX. Eodem tempore in civitate Subria, id est Mediolano, regnabat Athis Insubris, ut dicit Karinus in Cronicis.

50. QUOD FUERUNT TRES VIRI DICTI MARS

Item est notandum quod fuerunt tres viri famosi, quorum quilibet dictus Mars. Primus fuit filius Iunonis, quem genuit comedendo florem. Et de isto habetur in sequenti capitulo. Secundus // (f. 198v) fuit filius Februe dee bellorum, a quo mensis Februarius est denominatus, sicut ex nomine Martis mensis Martius nomen accepit. Et iste Mars dictus est deus bellorum et stellificatus celum promeruit. Tertius Mars fuit filius Thystre, et iste genuit Romulum et Remum qui Romam condiderunt, ut infra dicetur. De isto Marte habetur arbor generationis supra, libro secundo capitulo XXVII.

51. GENERATIO FILIORUM IOVIS ET IUNONIS

Iupiter reversus in Gretiam cum Saturno patre suo, Saturnus restitutus in regno patris sui, scilicet insule Cretensis, Iupiter optimus partem regni Gretie; qui duxit in uxorem sororem suam que dicta est Iuno. Iupiter fuit deus ignis et aeris, Iuno fuit dea aquarum et terre: his qua-

tuor elementis comistis sive coniunctis cuncta generantur. Unde a phys-
losophis dicitur ‘yais’, id est universalis; et dicit Papias quod accipitur pro
mundo universali. Genuit Iupiter filium qui dictus est Vulcanus et
Minervam et heroas. Juno genuit comedendo florem filium qui dictus
est Mars, et comedendo lactucam genuit alium filium qui dictus est
Eben. Item de nube interposita de Yxiona filio Flegye gigantis tytani,
genuit XXXV filios, qui omnes dicti sunt Centauri, non omnes uno
tempore sed diversis temporibus. Cum autem esset turpissima multorum
concubina, tamen de Iove viro suo fuit miro modo zeloptipa, et de eius
diversis pellicibus durissimas sumpsit ultiones: nunc mutando hanc in
vacam, illam in ursam vel equam vel capram vel mergum vel aliquid
huius. Quid autem in portent huius transmutationes et quot modis
habent fieri, et naturaliter et per artem maycam, et de hoc habetur una
questio disputata superius libro primo, capitulo LXXVII. Hic est scien-
dum quod fuerunt tres viri famosi, quorum quilibet dictus est Mars; pri-
mus fuit filius Iunonis, de quo supra dictum est; alter fuit filius dee
Februe, qui est deus bellorum et est stellificatus, a quo mensis Martii
denominatus est; tertius Mars fuit filius Thystre, et iste genuit duos filios,
scilicet Romulum et Remum.

52. NOMINA CONCUBINARUM IOVIS

Iupiter multas adamavit mulieres et prolem copiosam genuit, et in
multiplices animalium speties se ipsum transformavit. Ipse, prima
omnium mulierum cum Nyobe, filia Foronei regis Argivorum, concu-
buit et genuit Apim, id est Serapyn, deum Egypiorum. De hoc habetur
infra libro tertio, capitulo XV. Item ex Io, filia Ynachi regis Argivorum,
genuit filium qui dictus est Epaphus, quam ob vindictam dea Juno
convertit in vacham, et Argo C oculorum tradidit custodiendam. Item
Iupiter se ipsum transformavit in spetiem serpentis et cum Tegone nim-
pha concubuit, de qua filium genuit qui dictus est Eupersiagen. Item
transformatus in spetiem cuiusdam principis qui dictus est Amphytrion,
fraudolenter concubuit et genuit Herculem Oetam famosum, anno
Habraee VII^CLXVI. Item Iupiter genuit de Maya filia Athlantis Mercu-

rium, Iasium et Luciferum. Item transformatus in spetiem ignis concubuit cum Egina filia // (f. 199r) Esopy et genuit tres filios, scilicet Eacum, Peleum et Thelamonem. Item concubuit cum Semele filia Chatmi et genuit Bachum, qui dictus est Dyonisius, Liber pater, anno Habraee V^CLXXX. Item Iupiter se ipsum transformavit in spetiem satiri, id est symie, et accessit ad Antiopam, filiam Nicei, regis Thebanorum, et genuit duos filios, scilicet Zetum et Amphyon. Item de Segestra filia Ypotis genuit filium qui dictus est Ypotis vel Opotes. Item de Memoria genuit VII nymphas sive Musas. Item Iupiter de Latona, filia Cey regis, genuit Phebum et Dyanam. Item de Thayeta filia Athlantis genuit quatuor filios, scilicet Apolo, Thesalus, Lacedemon et Tantalum. Item Iupiter de Ethna nympha Sicilie genuit duos filios qui ambo dicti sunt Phaliseos. Item de Electra Ytalica genuit Dardanum, ut dictum est. Item de Grata nympha genuit filium qui dictus est Iarba, rex Libie. Item Iupiter se transformavit in spetiem dee Dyane et fraudolenter oppressit Calisto, filiam Lycaonis, et genuit in Ytalia filium qui dictus est Archas. Hanc Calisto dea Iuno ob vindictam strupi convertit in ursam. Item Iupiter se ipsum transfiguravit in spetiem Menesis pastoris et oprescit Meronosides nympham, filiam ipsius pastoris, et genuit filium qui dictus est Aceus vel Aonem. Item Iupiter se ipsum transfiguravit in spetiem thauri et rapuit Europam, filiam Agenoris regis Sydoniorum, et genuit tres filios, scilicet Radamantum, Sarpedonem et Minonem. Item rapuit aliam Europam filiam Phenicis et transvexit ipsam in Ytaliam, unde Agustinus et Ieronimus dicunt quod iste raptus fuit bis, tempore Iosue ducis Iudeorum. Item Iupiter de Cerere sorore sua, que dicta est Proserpina Maior, genuit Proserpinam Minorem. Item de comistione filie Lycaonis genuit filium qui dictus est Brotonus. Iupiter se ipsum transfiguravit in vellus aureum et oprescit Danem filiam Acrisii regis, que in Ytaliam fugit et civitatem construxit que dicta est Ardea, que postea fuit sedes regni Turni gigantis; et peperit in Ytalia filium qui dictus est Perseus qui secundum autores amputavit capud Meduse gorgonis. Item Iupiter transfiguravit se ipsum in spetiem cygni et concubuit cum Ledea uxore Tyntharis, et

concepit duos filios et duas filias, quorum nomina sunt hec, scilicet Castor, Polux, Helena et Clicinestra. Item de Stenope filia Athlantis genuit filium qui dictus est Penelope. Item Iupiter concubuit cum Antigona filia Priami, quam Iuno convertit in mergum. Item Iupiter se ipsum transfiguravit in aquilam et Ganimedem iuvenem pulcerrimum rapuit ad struprum. Unde dicit Ieronimus turpe est Iovem habere suum deum, cuius vitam immitari est turpissimum.

53. EXCUSATIONES FABULARUM; ET QUINQUE MODIS DICITUR FABULA
 Fabula secundum Ysidorum Ethymologiarum dicitur a fando, id est loquendo, quia sunt ystorie non sacre sed loquendo conficte. Et hoc fit quatuor modis. Primo ad significandum naturam rei, ut Vulcanus deus fabricae et ignis dicatur claudus, quia ignis numquam rectus ascendit; vel aliquis homo dicatur ypocentaurus, id est mixtus ex homine et equo, ad significandum hominis velocitatem, quia equus est velocissimi cursus; vel quod amasius Iunonis dicatur Flox, quia erat puer pulcerrimus, vel lac-tuca propter // (f. 199v) herbe illius proprietatem, vel nubes propter loci obscuritatem. Secundo modo fabula conficta est ad mores, sicut in libro Iudicum dicitur quod ligna fecerunt lignum spinarum regem (unde dicit Agustinus quod talis fictio sive fabula indicat rei veritatem), et Dominus in Evangelio appellavit se esse vitem, aliquando granum tritici, et multa talia inveniuntur in Scripturis. Tertio modo fabula conficta fuit ad orna-tum alicuius hominis, cuius scelera ocultare voluerunt, sicut quod Iupiter dicatur aquilla in raptu Gemenidis vel serpens, vel ignis, vel aliquid tale. Unde dicit Agustinus libro XVIII De Civitate Dei quod fabule de Minotauro et Gorgonibus et Centauris et similibus ideo conficte sunt, ut scelera hominum quos deos appellare voluerunt sub ornatu talium fabularum contegerentur. Quarto modo fabule sunt adinvente propter alicuius virtutis aut artis adinventionem, ut Esculapius dicatur deus propter medecinam et Vulcanus propter fabricam. Quinto modo propter actus manifestationem, ut aliquis dictus est Mercurius quia preest mercationi, et aliquis dicatur Liber pater propter libertatem. De trans-formatis habetur supra, libro primo capitulo LXXVII.

52 - 51. unde : ubi *B* 53 - 4. quatuor, recte quinque 7. quia : qui *B* 11. un-de : ubi *B* 15. alicuius : alicius *B*

54. GENERATIO FILIORUM IOVIS

Iupiter autem rex Grecorum ex uxore sua et aliis supradictis concubinis genuit filios XLVI, sicut in subiecta patet figura.

[Figura II]

// (f. 200r) 55. INCIDENTIA DE CIVITATE ATHENARUM ET DE VILLA
ACHEDEMIA

Atheniensium, ubi primo regnavit Cycrops, a quo tota provintia dicta est Cecropia. Hic fuit genere Egiptius et fugit de Egipio propter plaga Moysi factas in Egipio. Hic civitatem Athenam condidit: ex nomine Minerve, que dicitur Athena, Athenas nominavit, sicut dicit Agustinus in libro De Civitate Dei, et Miletus in Cronicis. Volens autem Cicrops condere civitatem in arce, subito apparuit una oliva et unus fons; super quod admiratus rex consuluit Apolinem Delficum, qui respondit quod oliva significaret Minervam, et fons significaret Neptunum, et cui vellet 10 istorum nomini civitatem dedicaret. Et vocati sunt ad consilium masculi et femine, et masculi dixerunt pro Neptuno et femine pro Minerva; et prevaluerunt mulieres quia plures, et vocata est civitas Athena, anno Moysi secundum Eusebium XXXV, anno nativitatis Habraeae 15 CCCCXL. In hac rex Cicrops primus bovem mactavit et deo Iovi consecravit et ipsum ut deum adorari precepit. Hec civitas fuit condam nutrix phylosophorum et mater omnium liberalium artium; hinc traditus fuit condam circumstantibus civitatibus usus lanifitii, lini et olei. Hic docuit Plato, hic fuit vicus dictus Ariopagus in quo docuit magnus Dionyxius, quem beatus Paulus ad Christi fidem convertit. Est autem iuxta hanc civitatem uno miliario villa dicta Archedemia in qua XVIII annis 20 Plato docuit Aristotilem. Hanc villam Neptunus bello superatus condidit. Est autem civitas Athena condita in provintia Athica ab Achide filia cuiusdam regis sic dicta, in qua sunt civitates centum.

56. INCIDENTIA DE CIVITATE EPYDAURO QUE DICITUR DURACHIUM
Eodem tempore secundum Sycardum in provintia Gretie fuit

55 - 10. significaret : significavit *B*

constructa civitas Epydaurus, que secundum Benzium nunc dicitur Durachium: que fuit condita anno Habraee CCCCXXVI, ante Urbem conditam VII^{CLXXIII}. Hic fuit sacellum sive capella Esculapii, ubi infirmi sanabantur et sompniorum interpretationes fiebant. Unde iste Esculapius in spetie serpentis Romam fuit aductus.

57. INCIDENTIA DE PROVINTIA SYRIA ET QUOD QUATUOR SUNT SYRIE

Tunc etiam temporis secundum Sycardum Syrus Syriam provintiam incoluit. Ysidorus: Syrus fuit filius Habraee ex Cethura; hic ex suo nomine provintiam vocavit Syriam. Secundum Brocardum est quadruplex Syria.

Prima dicitur Syria Mesopotanie, posita inter duos fluvios, scilicet Tygrim et Eufratem, in qua est civitas Edisa que et Rages sive Rase; de qua dicit Ysidorus quod Nembroth gygas filius Chus eam condidit, quando de Babilone migravit in Asia.

Secunda dicitur Syria Celes sive Celesyria, in qua est Antiochia; hanc autem Antiochiam quidam ex militibus Alexandri construxit, quam ex nomine patris sui Antiochi Antiochiam nominavit, que etiam dicitur Rabatha. Est autem civitas fortissima, hinc montibus, hinc fluminibus circumdata. Habet duos muros: interior murus habet // (f. 200v) turres CCCL, exterior murus distat lato spatio a primo muro et sustinet in se CCCXL ecclexias. Infra civitatem sunt tres montes et in uno est quoddam castrum fortissimum quod respicit totam civitatem. In hac Nabuchodonosor rex Babilonie captivavit Sedechiam regem Iuda cum filiis, et oculis privavit. Beatus Petrus apostolus ibi VII annis episcopus fuit. Beatus Luchas ibi Actus apostolorum conscripsit, ubi episcopus in ordine septimus fuit. Ibi primum concilium fidelium cellebratum fuit. Ibi primo fideles christiani dicti sunt. Ibi est patriarcha habens suffraganeos CLIII, inter quos sunt XIII archiepiscopi. Hanc soldanus Babylonia anno Domini MCCLXVII cepit et habitatoribus evacuavit.

Tertia dicta est Syria Phenicis, sic dicta a Fenice fratre Cathini, qui ibi primo habitavit. In qua civitas Tyrus est metropolis; est autem Tyrus civi-

57 - 9. in Asia : et in Asia *B* 11. construxit : constrixit *B* 16-17. quoddam : quoddam *B*

tas posita in corde maris, rotondam habens formam, cincta muro quadruplici, et habet muros in latitudine XXV pedes. Hanc Tyras filius Yapheth condidit; et habet virorum armatorum CCC^M et equitum X^M et currus falchatos III^M. Fuit autem condita secundum Trogum anno primo Troye destructionis, ante Urbem conditam anno CCCCXXVIII, ante Christi nativitatem MCLXXXII.

Quarta dicitur Syria Damasci, quia in ipsa est civitas Damascus; et dicitur Syria Lybanica quia in ipsa est mons Lybanus.

58. INCIDENTIA DE HERCULE ET QUOD QUATUOR FUERUNT HERCULES

[Figura 12]

Hisdem temporibus secundum Sycardum claruit Hercules. Agustinus in XVIII De Civitate Dei innuit plures fuisse Hercules. Varro dicit quod homines qui fortia fecerant Hercules dicebantur; unde fuerunt quatuor dicti Hercules, scilicet Hercules Tyrinzius et Hercules Argivus et Hercules Lybius et Hercules Oeta, qui dicitur Hercules Thebanus sive Maior, qui XII fecit ingentia gesta. Hic natus est anno nativitatis Habraee VIII^CXVIII; unde iste non fuit ille de quo hic dicitur, sed post ista tempora per CCC annos et plus. Hic autem Hercules de quo hic agitur fuit Hercules Argivus, de quo dicit Eustodius in Cronicis, quod fuit filius Ytalici regis qui fuit filius Nembroth. Et Gothofredus Viterbiensis in Cronica sua dicit quod hic Ytalicus dictus est Iullius Ytalus. Et hoc habetur supra, libro secundo capitulo LVIII. Hic Ytalicus construxit in rippa fluminis, iuxta Romam, civitatem que dicitur Tyberis, unde flu men nomen accepit. Hercules cum Argivis veniens sub Capitolio Rome civitatem construxit, quam Valleriam nominavit. Hic genuit duos filios, scilicet Sardinum et Cyrenen: primus tenuit Sardiniam et secundus habuit Corsicam, sicut in subiecta patet figura.

[Figura 13]

58 - 7. Lybius : Lybiu B

// (f. 201r) 59. INCIDENTIA DE INSULA SARDINIA

Sardinia insula secundum Ysidorum dicitur a Sardo filio Herculis, qui a Libia profectus in Ytaliam venit et insulam occupavit quam ex suo nomine Sardiniam nominavit. Habet in longitudine CXL miliaria et in latitudine XL, vel secundum Orosium habet in longitudine CXXX miliaria et in latitudine LXXX. Ibi non gignitur nec lupus neque serpens. Solinus: «Nichil refert dicere ut Sardus Hercule et Norax Mercurio procreati sint»: nam a Sardo insula, a Norace opidum Nory vel Nore nomen datum. Habundat metallis argentariis, fontibus calidis, pascuis uberrimis.

5

10

60. INCIDENTIA DE INSULA CORSICE

Corsica insula a Cyrino filio Herculis primo dicta est insula Cyrenen. Deinde cum quedam mulier in provintia Lyguria, in ripa maris versus Pisas, passeret taurum et ipsum videret transvadare mare et intrare insulam ad pascua, navigio illuc perrexit, quam inhabitans ex suo nomine Corsicam appellavit. Habet autem in longitudine CLX^M passuum et in latitudine XXVI^M, et dividitur a Sardinia XX miliaribus.

5

61. INCIDENTIA DE DILLUVIO THESALIE

Eodem tempore, scilicet servitutis Hebreorum, secundum Sycardum, circa Parnasum montem Thesalie cepit regnare Deucalion; tempore cuius (scilicet ante Urbem conditam VIII^CX) dilluvium in Thesalia factum est. Hoc etiam tempore Arycilius primus quadrigam iunxit. Item Corrinthes et Choribantes apud Egiptios consonam receperunt in armis saltationem; qui condiderunt civitatem Gnoson.

5

62. INCIDENTIA DE INCENDIO FETONTIS SIVE ERIDANI

Eodem similiter tempore secundum Sycardum incendium Phetuntis factum est; et multe pestilentie in Ethiopia facte sunt, de quibus Plato meminit. Ubi est sciendum quod Pheton (qui et Eridanus) fuit filius Solis regis Egipti, unde dicit Mellander in Cronicis quod Sol secundus rex Egipti regnavit annis XLII, de quo ystorie Egipti nullam fecerunt

5

mentionem. Hic Sol rex genuit filium qui dictus est Pheton sive Eridanus, qui intravit Ytalam et in flumine Pado propter estum nimium se lavans submersus est; propter quod ille fluvius inter stellas est translatus et Eridanus denominatus. Hic genuit filium qui dictus est Lygurius, qui in Ytalia regnans totam provintiam denominavit Lyguriam.

63. DE PLAGIS ET SIGNIS MOYSI IN EGIPTO

Habraee sive etatis tertie V^CV, mundi anno II^MCCCCLXIII, impe-
rante in Egipto rege Centres, anno etatis Aaron LXXXIII, anno etatis
Moysi LXXX, a condito Mediolano sive Subria anno CCCCV, Moyses
de mandato Dei factus est dux populi, cuius ducatus anno primo finem
habuit servitus Hebreorum. Moyses factus dux dixit ad pharaonem ut
dimitteret populum Israel. Et cum nolet fecit miracula cum virga, que
conversa in collubrum devoravit serpentes quos magy fecerant. Item
cum rex nolet dimittere populum, Deus Egiptios X plagis afluxit, scili-
cet sanguinis et ranarum et scini- // (f. 201v) -phum et cynomiarum et
necis animalium et ulcerum, grandinis et locustarum, tenebrarum et pri-
mogenitorum. Illud quoque notandum est quod magy similia fatientes
in tertio signo defecerunt. Tertio pharo vellet nolet dimisit populum.
Nomina plagarum his versibus continentur:

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda,
Inde culex tristis, post musca nocentior istis,
Quinta pecus stravit, vesicas sexta creavit,
Post sequitur grando, post brucus dente nephando,
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.
Vel sic:
Sanguis, unda, culex, musce, pecus, vulnera, grando,
brucus, caligo, mors pignora prima necando.

64. DE EXITU MOYSI DE EGIPTO

Moyses universo populo Hebreorum precepit ut die X aprilis, vel secundum Vicentium <...>, omnes se prepararent ad comedendum agnum cum lactucis agrestibus. Et die XIIIII comedenterunt agnum et completa cena vocaverunt illum diem Pasca, quod interpretatur transitus. Et fuit universa multitudo Hebreorum VI^{CM}, et exeuntes de Egipto portabant secum ossa Iosep. Et tunc fuerunt completi anni promissionis CCCCXXX, intelligendo omnem in collatum Egypci, a promissione Habraee in via Mesopotanie usque ad datam Legem, anno nativitatis Ysaac CCCC, ab introytu Iacob in Egiptum CCXV, anno a morte Ioseph CXLIII, anno ante Urbem conditam VIII^{CV}, post Mediolanum anno CCC. Et exivit populus Hebreorum die XV Aprilis expoliata universa Egipto vasis et vestibus pretiosis mutuo conquisitis. Quapropter pharo concludens eos ad mare Rubrum cum VI^C curribus et L^M equitibus et CC^M armatis, videntes Hebrei se esse comprehensos, clamavit Moyses ad Dominum et, percutiens virga aquas maris, mare conversum est in terra. Et dicit Magister quod Iudas primo transivit, unde et promeruit regnum. Egypci inseuti sunt eos et omnes submersi sunt; et dicit Orosius quod in profundo adhuc apparent rote currium Pharaonis. Hebrei letati de divino auxilio cantaverunt canticum Domino dicentes: «Cantemus Domino gloriose» et cetera. Cumque venissent in Marach, dulcorate sunt aque amarissime; et in Elym invenerunt fontes XLII et palmas LXX; deinde conturnices misit eis Deus; postea pluit mana in deserto; et in Raphayn produxit petra aquas vivas; et orante Moyse superatus est Amalech. Et die XLVII pervenit Moyses ad montem Sinay, secundum Vicentium primo die mensis Iuni, die XL post Pasca; et ascendit Moyses in montem et accepit mandata legis a Deo, anno secundo ab exitu de Egipto, scilicet de moribus, de iuditii, de ceremoniis, de tabernaculo, de utensilibus, de vestibus sacerdotalibus, de personis, de sacrificiis et sanctificationibus, de sabatis observandis et primogenitis offerendis vel redimendis. Fuitque Moyses cum Domino XL diebus et XL noctibus non comedens neque bibens. Videns populus quod moram faceret

Moyses, conflavit sibi vitulum in deum; propter quod Moyses interfecit ex eis XXII^M virorum. Et ascendit iterum Moyses in montem et // (*f. 202r*) pacificato Deo descendit ad populum cornutam gerens fatiem; demum per manus Bescel et Olyab tabernaculorum utensilia fecit. Et primo mense anni secundi, prima die mensis, tabernaculum erexit et unxit, in quo maiestas Domini coruscavit; ubi Dominus multa Moysi dixit, scilicet de sacrificiis, de holocaustis pacificis salutaribus et pro peccatis et libamentis eorum, de institutione sacerdotum vel consecratione, et ceteris que leguntur in quinque libris Moysi, quorum ystoria secundum Vicentium continet annos II^MCCCCLXXXIII. Ordinatis itaque mensa et candelabro propitiatorio et indumentis sacerdotalibus, precepit Deus Moysi ut Aaron esset sumus sacerdos propter genus et prophetiam et virtutem. Cui erant quatuor filii, scilicet Nadab, Abiud, Eleazar et Thamar. Inchoante autem anno secundo de mense Aprilis, tabernaculum et omnia vasa consecrata sunt, et obtulit unusquisque dimidium siculi; et habitavit Deus in hoc tabernaculo, et descendit ignis de celo et devoravit sacrificium. Cum autem Nadab et Abiu ignem supponerent alienum, ignis devoravit eos. Nunc de sacerdotio Aaron aliquid videamus.

65. AARON FUIT PAPA

Queritur utrum Aaron fuerit papa sive summus pontifex. Et videtur quod non, quia papa est dominus generalis totius mundi; sed Aaron fuit dominus tantum populo Iudeorum: ergo non fuit papa. In contrarium est quod Deus fecit eum summum pontificem; sed summus pontifex est papa: ergo Aaron fuit papa. Circa istam questionem est sciendum quod a principio mundi usque ad ista tempora non leguntur sacerdotes instituti fuisse in populo Dei, sed dicit Magister quod primogeniti fungebantur officio sacerdotali et utebantur vestibus pretiosis; de quorum officio habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>. Nunc autem de sacerdotibus cepit providere et de mitra et vestibus et oblationibus et ceteris

36. Bescel, *recte* Beseleel ~ utensilia : et utensilia *B* 48. siculi, *recte* sicli

ceremoniis; et licet omnes qui descenderunt de Aaron essent sacerdotes, voluit autem Deus quod Aaron esset sumus sacerdos et papa, sicut scribitur in Psalmo, quod Deus ellegit Aaron ut pasceret populum Israel, id est Hebreos sive Iudeos, hereditatem suam. Unde, iniungendo ipsi ovium pastum, iniunxit pastoris officium, id est episcopi officium; ad idem Deus ore suo ordinavit quod Aaron inungeretur et consecraretur et portaret mitram et uteretur rationali ed sandalibus: ex quo patet quod fuit papa verus, quia nec tanta solemnitas circa beatum Petrum facta fuit. Ad idem videmus quod signo semper corespondet signatum; sed in veste Aaron erat depicta ymago sive mappa mundi, et omnia regna erant ibi descripta: ergo et signatum in ipso fuit, scilicet dominium totius mundi. Ad argumentum factum in contrarium est dicendum quod aliquis est dominus tripliciter: aut de iure, aut de facto, aut ratione utriusque. Unde beatus Petrus fuit papa et dominus generalis de iure, sed numquam de facto, quia numquam <habuit> sub se omnes homines mundi, nec aliquis eius successor, sed quicumque fuit christianus fit eis subditus de facto et de iure. Eodem modo fit de Aaron qui prefuit populo Iudeorum, quia si omnes homines mundi recipissent circumcisioinem, omnes fuissent eius subditi. Ex hoc excluditur error iuristarum qui dicunt quod imperium fuit priusquam papa, quia Aaron verus papa pre- // (f. 202v) -cessit Iullium Cesarem primum imperatorem per annos fere MLXXXV vel id circa.

66. MOYES FUIT DUX IN TEMPORALIBUS SIVE REX; ET DE MORTE AARON ET MOysi

Moyses ad militaris exercitii iura convertit, et inventa sunt virorum a XV° anno usque ad LVI^C et III^M et VI^CL, non computata tribu Levi; et ellegit Dominus LXXII viros in quibus requievit spiritus Domini. Et instituit Moyses in populo principes, centuriones, quinquegenarios et decanos, qui iudicarent populum in causis minoribus, ipso iudicante in causis difficilioribus. Tunc misit XII exploratores ut viderent terram promissionis; qui die XL° reversi dixerunt mala nova populo; et murmuravit populus, quapropter omnes mortui sunt in deserto, preter Caleph et

65 - 26. habuit supplevi

Iosue, et pervagati sunt desertum annis XL. Tunc colligens ligna in saba-
 to lapidatus est; Chore et Datan invidentes de ducatu a terra sunt devo-
 rati; virga Aaron floruit et Aaron sacerdotium demonstravit; Maria soror
 15 Moysi moritur; petra bis percusa dedit aquas: hec est aqua contradictio-
 nis, ubi contradixit Dominus Moysi transire Iordanem, ubi rupis per-
 cussa adhuc ostenditur. Aaron cum pervenisset ad montem Hor mortuus
 est, anno etatis sue CXXIII, anno egressionis de Egipto XL, luna secun-
 da mensis agusti. Et Eleazarus filius eius loco patris factus est summus
 20 pontifex; et cum populus murmuraret inmisit Dominus serpentes igni-
 tos, sed in medellam Moyses serpentem eneum erexit qui secundum
Datium et Benzium Mediolanum deportatus fuit. Tandem pervenit
 Moyses ad torrentem Zaret, quem siccis pedibus pertransivit; Seon
 regem Amorreorum et Og regem Bassan superavit; Balaam loquente
 25 eius asina prophetavit; Populus Israel numeratur et fuerunt VI^{CM} et
 MVII^{CXXX}, quibus terra divisa est. Et mortuus est Moyses anno etatis
 sue CXX de mense Martii, cuius sepultura nullus novit: et dicit Ieroni-
mus super Amos quod translatus est in paradixum cum Enoch et Helya,
 30 ideo eius sepultura ignoratur. Ex his que dicta sunt manifeste colligitur
 quod Moyses fuit dominus temporalis in populo Iudeorum, sicut rex in
 regno suo. Nam ipse iudicavit populum de hereditatibus et successioni-
 bus; similiter iudicavit filias Saphath et propter defectum masculorum
 succedere, ita tamen quod extranee tribui non comiserentur. Item quod
 35 alii Iudei, scilicet principes, centuriones et decani, ab ipso acceperunt
 <ius> iudicandi populum in causis minoribus, ipso iudicante in diffici-
 lioribus. Item Moyses fuit sacerdos, iuxta illud Psalmum: «Moyses et
 Aaron in sacerdotibus eius». Ex quo concluditur quod fuit dominus in
 temporalibus et spiritualibus. Item est sciendum quod Iosue, qui suc-
 40 cessit Moysi in ducatu, habuit eandem auctoritatem in temporalibus super
 populum. Ceteri autem iudices nullam iurisdictionem habuerunt, ut
 infra dicetur.

67. INCIDENTIA DE CIVITATE LACEDEMONIA

Isto tempore secundum Sycardum Lacedemon filius Semeles condidit civitatem quam ex suo nomine Lacedemoniam appellavit, prius dicta Sparta a Sparto filio Foronei regis Argivorum, a qua tota provintia dicitur Lacedemonia vel Spartania, condam florentissima in tantum quod aspiraret ad imperium totius Orientis. Quidam dixerunt quod cum Lacedemones contra Mesinos diu pugnarent, timentes ne diuturnitate prelii proles // (f. 203r) deficerent, concesserunt iuvenibus domi derelictis ut indifferenter accederent ad quandam mulierem, et propter incertitudinem prolis dicti sunt Spartani, propter serpentinos adventus ex omni parte confluentes. Fuit autem condita secundum quosdam anno nativitatis Habraee CCCXXX, ante Romam VIII^CLXX, ante Christi nativitatem MVI^CXXII, ut dicit Orosius. De exordio regni Lacedemonum habetur infra eodem libro capitulo <<...>>, in fine istius tertii libri.

5

10

15

68. INCIDENTIA DE CIVITATE CHORINTO

Tunc similiter Corinthus, que secundum Sycardum prius Epyra vocabatur. Fuit autem quidam princeps dictus Corinthus filius Orestis, qui hanc civitatem in provintia Achaye condidit in loco munitissimo circumdato mari. Huic civitati apostolus Paulus scripsit epistolam ad Corinthos. Dicit Benzius quod prius dicta est Ephyra, que fuit constructa anno nativitatis Habraee VI^CX. De exordio regni Chorinthiorum habetur infra in fine istius tertii libri.

5

69. INCIDENTIA DE REGNO ARCHADUM SIVE SICINIORUM

Hisdem temporibus secundum Sycardum Archas filius Iovis et Calisto, regionem Pellagorum superavit et ex suo nomine Archadiam nominavit. Prius autem dicta est Agylea, ab Agyllo rege, deinde a Sacione rege dicta est Siciona. Greci autem dicunt Pellagos populos natos ex Iove et Larissa concubina eius; Ysidorus ait quod Pellagi populi dicti sunt quia cum velis expansis verno tempore intraverunt Ytaliam, ut aves per mare currentes. Hii secundum Varrum primo litteras atullerunt in Latium, id

5

est in Ytaliam. Generatio istius regis Archadis prout habetur in Poetario
 10 talis fuit: quia Calisto, virgo pulcerrima, filia fuit Lycaonis, que suam vir-
 ginitatem vovit dee Diane; hanc Iupiter adamavit et se ipsum in spetiem
 dee Dyane transformavit, et virginem Calisto ut Dyana dea virginitatis
 more virgineo salutavit, sed non ut virgo, sed ut turpissimus adulter vir-
 15 ginem oppressit; et concepit filium qui dictus est Archas. Iuno hoc audi-
 to, Calistonem in ursam convertit, quam Iupiter inter astra retulit, et
 dicitur Ursa Maior. De Archade natus est Ionus, qui genuit Zarietum,
 qui duxit in uxorem Carmentem nimpham; et genuit filium qui dictus
 20 est Evander rex Ytalie, qui genuit Palladem gygantem, quem Turnus
 gygas occidit. Item ista Carmentis nympha genuit aliam Carmentem
 nimpham, que tradita Fauno regi Ytalie genuit filium qui dictus est Latini-
 nus, qui genuit Laviniam uxorem Enee Troyani, sicut patet in figura.

[Figura 14]

// (f. 203v) 70. INCIDENTIA DE QUATUOR POPULIS QUI PRIMO INTRA-
 VERUNT YTALIAM

Et quia hic facta est mentio de Pellasis qui intraverunt Ytaliam, ideo
 de ipsorum origine est hic dicendum. Nam Noe magnus post dilluvium
 5 genuit filium qui dictus est Ionithus, astrologus permaximus, qui regna-
 vit in Oriente in terra Ethan. Et secundum Metodium de isto Ionitho
 natus est filius qui dictus est Subsyrsabeth, rex Ethan. Hic destruxit
 LXVII civitates super Eufratrem, et combuxit tria regna in India, et opti-
 nuit regnum Sabba, et intravit desertum Etheruvium, et expulit inde
 10 filios Ysmaelis filii Habraee. Filii Ysmaelis multi nimis congregati ince-
 debant nudi, et comedebant carnes camellorum confectas in utribus, et
 bibebant sanguinem iumentorum. Et fabricaverunt sibi naves, et in
 modum volucrum volabant super aquas. Et intraverunt Ytaliam, et opti-
 nuerunt magnam Romam, Ylliricum et Sardiniam, et dominati sunt in
 15 Ytalia annis LX, et fecerunt ibi quicquid voluerunt. Hii populi secun-
dum Ysidorum dicti sunt Pellasi, quia cum velis expansis verno tem-
 pore intraverunt Ytaliam velud aves per mare disurrentes. De istis popu-

lis dicit Solinus libro primo De Mirabilibus Mundi; sic dicit, quod antiquissima opida sive civitates Ytalie condiderunt quatuor populi, scilicet Pellasgi, Arunchi, Archades et Siculi. Et isti populi secundum Ysidorum et Varrum fuerunt primi qui umquam de Gretia et Oriente egressi intraverunt Ytaliam, et fuerunt primi qui litteras (scilicet Grecas) attullerunt in Latium, id est Ytaliam, secundum Solinum. Ex quo patet quod intraverunt antequam Saturnus secunda vice veniret, quia et ipse de Gretia expulsus venit in Ytaliam. Solinus dicit de Pelasgis quod construxerunt opidum Algenam; deinde ex totius Gretie partibus advene Greci intraverunt Ytaliam ex omnibus Gretie partibus et provintiis, et tunc Ytalia dicta est Gretia Maior. Et de hoc loquitur beatus Ieronimus ad Paulinum sic dicens: «Archita Tarentinus ora Ytalie, que condam Magna Gretia vocabatur, laboriosissime peragravit». 30

71. INCIDENTIA DE ANTIQUIS CIVITATIBUS YTALIE: DE PERUSIO

Isti Greci secundum Varrum, Papiam, Ysidorum et Benzium, in Ytaliam de Gretia egressi pervenientes, construxerunt has civitates. Primo Athenienses construxerunt in Thuscia Perusium; unde dicit Iustinus quod Perusini ab Atheniensibus originem ducunt. Ricobaldus in Cronicas dicit quod Perusinis auctores fuerunt Acheey, id est Greci. Quidam dixerunt quod quidam princeps Troyanus dictus Perusius condidit Perusium. Papias dicit: «Perusium opidum est in Ytalia». 5

72. DE CIVITATE FEXULA

Ubi est sciendum quod Athlaus vir potentissimus intravit Europam cum uxore sua Alechta, et fuit Apolo cum eis; et condidit civitatem in Thuscia quam nominavit Fexulam; et genuit tres filios et unam filiam. Primus dictus est Ytalus, a quo Ytalia; alter dictus est Sycanius, qui insulam Sicilie subiugavit et Sycaniam ex suo nomine appellavit. Tertius dictus est Dardanus: hic primus miles extitit, primus equum sub freno et sella subiecit. Filia ipsius Athlaii dicta est Candatia, virgo pulcerrima. Fuit

^{26.} an ex totius Gretie partibus expungendum? 72 - 8. subiecit : subeycit *B*

10 etiam in Ytalia alter Darda- // (*f. 204r*) -nus, filius Iovis et Ellectre, qui in Frigia civitatem Dardaniam construxit, que postea Troya dicta fuit. Genus istius Athalaii in subiecta patet figura.

[Figura 15]

73. DE CIVITATE FASLICHA ET MULTIS ALIIS CIVITATIBUS THUSCIE
Dicit Miletus in Cronicis quod Calcidenses egressi de Gretia condiderunt tres civitates in Campania, quarum nomina sunt hec: Faslichus Nova et Vellana; et quartam in ripa maris, que dicitur Regium. Unde dicit Solinus: «Regium civitas Calabrie a Calcidensibus conditum est». Octava civitas dicitur Tarquina, quam Thesalonicenses et Spinambri fundaverunt in Thuscia. Populi Crotonienses condiderunt secundum Solinum duas civitates, scilicet Gauloneam et Therinam. Populi Anaritii, ut dicit Solinus, condiderunt civitatem que dicitur Locrus. Populi Tyrii, de civitate Tyro egressi, secundum Solinum condiderunt duas civitates, scilicet Fidenam et Ariziam. De civitate Chorintho exierunt tres fratres, scilicet Croton, Prarion et Subaris sive Subres. Primus dictus Croton condidit Crotonam urbem: est enim Croton opidum iuxta Arezium, unde Crotoniate de quibus loquitur Tullius libro artis veteris rethorice. Prarion incolluit insulam que ex eius nomine dicta fuit Prarion, in qua genus marmoris nascitur. Subaris in Ytalia condidit civitatem quam ex suo nomine appellavit Subarim. In cronicis autem dicitur ut refert Benzius: populi Troeceni in Ytalia condiderunt civitatem Subarim.

[Figura 16]

74. DE THARENTO ET SAPRENO
 Lacedemones populi de Gretia egressi condiderunt duas civitates, scilicet Tarentum et Saprenum. Est autem Tarentum civitas Campanie vel Calabrie, quam Tyras vel Tares filius Neptuni condidit, ut dicit Ysidorus et concordat Papias. Saprenum sive Beneventum sive Maleventum

72 - 9. qui : que *B* 73 - 8. Anaritii, recte Naritii 74 - 4. Calabrie : Calabrie est *B*
 5. Beneventum : Beneventum condidit *B*

condidit Dyomedes Grecus in Apulia, in distantia CXXX miliariorum ab Urbe. In Ystoria Lombarda habetur quod Saprenum est civitas que toti provintie nomen dedit et capud omnium civitatum que in ea sunt ditissima Beneventus; et sic videtur quod Saprenum et Beneventus sint diverse civitates. Sed Papias dicit quod Beneventus est civitas condam dicta Saprenum, et concordat Gothofredus Viterbiensis et comentator super Tulium. Tytuslivius loquens de victoria Romanorum contra Saprenites dicit quod Saprenitibus Apuli se coniunxissent, nisi Publius Detius consul his ad Maleventum castra obiecisset. Duravit autem pugna inter Romanos et Saprenites, secundum Eutropium, annis XLVIII. Fuit autem destructa et per Romanos rehedicata anno condite Urbis CCCCLXX. Tunc temporis, cum Saprenum rehedicaretur, condita fuit civitas dicta Arpos, cuius po- // (f. 204v) -puli dicti sunt Arpy.

75. DE CIVITATE TYBURI

Tybur secundum Solinum condidit Cathilus. Ubi est sciendum quod Tydeus princeps Athenarum genuit filium qui dictus est Amphiarai; quo occiso apud Athenas, filius eius dictus Cathillus intravit Ytaliam et genuit tres filios, scilicet Tyburtum, Choram et Cathillum Iuniorem. Hic Cathillus de Sicilia expulit Sychanios et condidit civitatem quam ex nomine fratri sui Tyburti Tyburim nominavit. Atamen Cato dicit quod constructa fuit a Cathillo prefecto classis Evandri. Sextillus dicit quod constructa fuit ab Argiva iuventute anno nativitatis Habraee secundum Ieronimum et Miletum VIII^C, ante Christi nativitatem MCLXXXXV. Sed potuerunt esse duo dicti Cathilli, quorum unus eam construxit et alter ampliavit vel innovavit.

76. DE CIVITATE THURINA

Populi dicti Aphylo tre de Gretia egressi condiderunt civitatem quam dixerunt Turrinam. Parnepos Grecus, filius syrenis, condidit civitatem quam ex suo nomine dixit Parthenopeam, vel dicitur Parthenope a sepulcro virginis eiusdem nominis, quam Octavianus Agustus nominavit Neapolim. In Cronica autem Miletii habetur quod condita fuit ex

10

Troyanis exulibus. Unde dicit Solinus: «In Brutiis ab Ulike extructum fuit templum Minerve in insula Licea appellata, abiecto ibi corpore syrenis ita nominate; Parthenopes vero a Parthenope syrenis sepulcro». In hac dormit Virgilius. Populi dicti Orienses condiderunt civitatem que dicitur Pestus.

5

77. DE CIVITATE IANUENSI

Genuus filius Saturni de Gretia egressus in rippa maris Ytalie construxit civitatem quam ex suo nomine Genuam appellavit. Et dicit Iacobus de Voragine in Cronicis quod hoc fuit tempore Moysi, etate tercia, ante Romam per annos VII^CVII, ante Christi nativitatem MV^CXLVI. Deinde post Troye destructionem quidam princeps dictus Ianus predictam civitatem amplificavit et ex suo nomine Ianuam appellavit; ubi collebatur ydolum Yani Bifrontis; eius sigillum sic stat:

Griffus ut has angit, sic hostes ianua frangit.

10

Et subdit Benzios in Cronicis quod civitas Ianua, licet condam fuerit potentissima et ditissima, finaliter propter intestina bella prolabens forensi hoste, scilicet a potentia Mediolanensem, tribus annis obsessa fuit, rapinis patuit et cedibus multis. Quod autem civitas Ianuensis prius dicta fuerit Genua patet per dicta Tytulivii; ex quo concluditur quod non fuit illud Ianiculum de quo dicit Solinus, quia Genua non dicitur a Iano, imo a Genuo. Hec Benzios. Hec omnes dicte civitates a Grecis sunt constructe, et provintia dicta est Maior Gretia.

15

78. INCIDENTIA DE CIVITATE TROYA ET DE FRIGIA

Eodem tempore, scilicet Moysi, secundum Sycardum Dardanus condidit Dardaniam civitatem. Ubi est sciendum quod Iupiter ex Ellectra concubina sua, filia Athlantis Ytalici, in Ytalia constitutus genuit secundum Gothofredum Viterbiensem duos filios, scilicet Tratium et Dardanum. Hic Dardanus, secundum Papiam, a Latio id est Ytalia profectus perrexit in provintiam dictam // (f. 205r) Frigiam, ubi condidit civitatem quam ex suo nomine Dardaniam numcupavit, que secundum

Papiam postea dicta est Troya. A Tratio autem fratre eius tota provintia nomen accepit. Est autem Frigia provintia Asie minoris quam quedam mulier dicta Frigia filia Asopi <nominavit>, que totam provintiam occupavit. Et in libro De Ymagine Mundi dicitur quod in Asia Minore est Frigia, que et Dardania. Ex quo patet quod Frigia fuit civitas constructa a Frigia muliere supradicta; Deinde a Dardano dicta est Dardania, que postea a Troyo dicta est Troya; tandem ab Yllio dicta est Yllion, cuius menia Pergama dicuntur. Unde Ovidius:

Ylion aspites fundata muribus altis
pingitur et exiguo Pergama tota mero.

Fuit autem constructa sub hoc nomine Frigia anno dilluvii sive etatis secunde CLVIII. Unde dicit Petrus Cluniacensis in Cronicis quod Troya fuit constructa tempore Tharre patris Habraam, et sub hoc nomine Dardania fuit constructa tempore Moysi secundum Sycardum; licet aliqui dicant quod fuit constructa anno Habraee VII^CX, tempore Delboare iudicis Israel, ante Urbem conditam secundum Agustinum CCC-CLXXXX, ante Christi nativitatem secundum Orosium MCCXLII, et mansit annis CLXXXV. Secundum enim Ysidorum et Oratium et Darem Frigium, Iustum, Ieronimum, Solinum et Magistrum in Ystoriis, Troya et Ylium idem sunt, licet aliquando auctores utantur nomine unius pro alio, et provintia dicant pro urbe et econverso.

Finaliter Iason Troyam destruxit; et Priamus rex, ut dicit Dares Fri-gius, ex omnibus mundi partibus congregans artifices eam munitissimam redidit et amplimis muris cinxit ; et dicit Iohannes in Cronicis quod muri sunt quadri et habent in quolibet latere tres dietas. Et ex tunc Troia fuit nomen provintie et Ylion fuit nomen civitatis ubi Priamus VII portas fecit, quarum nomina sunt hec: Anthenorida, Dardanica, Ilia, Scea, Datia, Tymbrea, Troiana. Erexit similiter aram quam Iovi Stratori consecravit et lybamina devovit.

Passa autem fuit obsidionem annis X, et tunc fuit destructa anno nativitatis Habraee VIII^CXXX, ante Romam conditam secundum Ieroni-

40 mum CCCCXXXI, secundum Solinum CCCCXXXIII, anno a crea-
 tione mundi II^MVII^CLXXXIII, anno ante Christi nativitatem
 MCLXXXIII, anno tertio Laudon iudicis Israel, anno XV regni Age-
 menonis regis Nicenarum, anno ante primam Olympiadem secundum
Ieronimum CCCCVI. Et tunc Greci ob gloriam victorie annotare cepe-
 45 runt sua tempora a captione Troye.

79. QUOD TROYA FUIT DESTRUCTA ET REHEDIFICATA

Ylion sive Troya fuit rehedicata, quam posteri Anthenoris sive Nes-
 toris incolluerunt. Tunc filii Hectoris Heleno sibi auxilium ferente,
 5 secundum Ieronimum et Magistrum, expulerunt filios Anthenoris et
 Ilium receperunt; et Iustinus Trochi abreviator dicit quod Romani
 ingressi Asyam, cum Ylium venissent, mutua gratulatio Yliensibus atque
 Romani facta est, Yliensibus Eneam et ceteros duces a se profectos ase-
 rentibus, Romanis ab his se procreatos referentibus. Et Orosius dicit
 10 quod Symbria cum exercitu Romano iratus Illiensibus Ylion antiquam
 illam Rome parentem igne ferroque dellevit, sed illam Silla continuo
 reparavit. Ex quo patet quod Troia fuit multis vicibus destructa et repa-
 rata.

Genus Troyanorum sicut Gothofredus Viterbiensis ordivit et Anthe-
nor, // (f. 205v) qui dicit quod Esyones maior filius Danay genuit Elec-
 15 tram, et Iupiter ex Ellectra genuit duos filios: Tratium, a quo Tratia, et
 Dardanum, a quo Dardania sive Troya. Hic Dardanus ex uxore sua Oli-
 zone genuit Erictonium, qui regnavit pro patre; hic genuit filium qui
 dictus est Tros, a quo Troyani dicti sunt illi populi qui prius dicebantur
 Dardani. Qui genuit tres filios, // (f. 205vb) scilicet Ganimedem, Ylion
 20 et Assaricum, et Climestram. Gamenides fuit amasius Iovis, Ilius condi-
 dit civitatem Ylion, que Troya dicitur, et genuit Tytonium et Laomedun-
 tam, qui genuit Priandum. Assaricus genuit Daphen sive Capin, qui
 genuit Anchisem, qui genuit Eneam qui genuit Aschanium, sicut in
subiecta arbore habetur.

[Figura 17]

79 – 15. et¹ : quam B

// (f. 206r) 80. INCIDENTIE PLURES ISTIUS TEMPORIS

Isto tempore Danaus, expulsus de Egipto, Argorum regnum optinuit et terram aquis habundare fecit. Tunc etiam primo in Grecia vitis inventa fuit, et Ericsitonus, Cecrops regis filius, templum Apolinis Delii fabricavit. Et secundum Ysidorum tunc Hebrei cuperunt habere primo litteras. Et secundum Beynaldum rex Abderas, id est Saturnus, temporibus Moysi regnabat in insula Creta. De ista insula habetur supra, libro secundo capitulo <<...>>. In regno Atheniensium regnabat adhuc Cecrops, apud Argivos regnabat Triopas, apud Asyrios Aschatades regnabat, apud Sicinios regnabat Matatheus.

5

10

81. ISTORIA DE IOSUE DUCE Iudeorum

Habraee sive etatis tertie anno V^CXLVI, anno mundi II^MCCCC-LXXXIII, Mediolani sive Subrie anno CCCCXLVI, eminente in populo Iudeorum Eleazaro summo pontifice, vacante ducatu propter mortem Moysi, Iosue, qui et Yesus filius Nave, factus est dux populi cum plena iurisdictione quam Moyses habuerat, et rexit populum secundum Agustinum XXVII annis; et cum vixisset annis CX mortuus est. Erat autem etatis sue annorum LXXXIII quando cepit regere populum, vir robustus ad bellandum, audacissimus, lingua disertissimus. Ipse congregavit L milia armatorum in loco qui dicitur Abela, iuxta Iordanem stadiis LX, misitque Iosue exploratores duos ad civitatem Iericho, qui capti fuissent nisi Raab meretrix eos liberasset; que distat a Ierusalem XIII miliariis. Et transivit Iosue cum universo populo fluvium Iordanis sicco pede, et iuxta civitatem Iericho X stadiis altare ex XII lapidibus erexit. Tabernaculum ibidem fuit fixum, et pasca fuit celebratum; et dicit Magister quod nundum nisi bis factum fuerat pascha. Et colligente universo populo meses loci illius, defecit mana, quo usi fuerant XL annis in deserto. Et erat tunc secundum Eusebium in Cronicis annus iubileus numero LI^o de annis iubileis qui fluxerant ab initio mundi: tunc omnis homo fuit circumcisus. Et accedentes ad muros civitatis Iericho VII diebus fecerunt processiones in circuitu muri, et clangentibus tubis die VII

5

10

15

20

25 murus civitatis corruit nullo tangente, et capta est civitas. Parvuli et mulieres et omnis populus gladio corruerunt. Et dicit Brocardus quod vix sunt in ea VIII domus. Raab populo Iudeorum connumeratur. Achor filius Zebedei de tribu Iuda, qui vestem regiam auro contestam habentem siculorum pondera CC abscondit, qui propter hoc lapidatus fuit cum universa familia sua, eiusque substantia igne cremata fuit in valle que dicitur vallis Emoch sive Achor.

30 Deinde Iosue invasit civitatem Hay, quam cepit et igne succedit; et secundum Magistrum, XII^M hominum interficti sunt et regem ipsorum suspendit. Interim Gabonite malitiose quasi essent remoti, cum tamen essent propinqui, fedus cum Iudeis inierunt. Quibus versutiis deprehensis, habuerunt eos servos aquarios et lignarios.

35 Deinde Iosue scripsit Deuteronomium, et legit populo verba maledictionis et benedictionis. Tunc Adonisech, rex Ierusalem, male portans quod Gabonite fedus inisent cum Iosue, advocans quatuor reges ex circumstantibus civitatibus, obsidere cepit civitatem Gabanonitarum. Tunc succurrit Iosue, et sol et luna // (f. 206v) ad preceptum eius steterunt spatio unius diei. Et in valle dicta Accida Iosue quinque reges cepit et secundum Magistrum positis pedibus super colla eorum eos in patibulis suspendit. Tunc congregati sunt contra Iosue XXIII reges et fuerunt cum eis CCC^M virorum armatorum et equitum X^M et curruum II^M: quos omnes Iosue percusit et omnes reges et populos extinxit, nec pepercit sexui vel etati, equos similiter interfecit et currus suspendit. Et 40 quintus annus ducatus Iosue iam transierat et populus Iudeorum ultra modum ditatus est in auro et argento.

45 81bis. DE MORTE IOSUE ET YSTORIA CALEPH
Sexto anno ducatus sui Iosue de Galgalis exiens perrexit in Silo, deinde in Sicoen, ubi altare erexit in monte Hebal; et ibi medium partem populi constituit et aliam medium partem in monte Garizim, et clamaverunt sibi alternatim maledictiones et benedictiones.

81 - 22. parvuli : paruli *B* 26. an qui secludendum? 37. obsidē *B* 39. Accida, recte Macea 81bis - 1. hoc caput iterum numero 81 computatur in *B* 3. ubi altare erexit bis scripsit *B*

Accessit Caleph, factus annorum LXXXV, et tradidit ei Iosue Ebron; tribui autem Iude concessit montana. Caleph obsedit civitatem Carithiarim, quod interpretatur ‘civitas litterarum’ (erant enim in ipsa scriptores multi), et promisit filiam suam Axa illi qui primo percuteret urbem. Percussit Otoniel et optimis Axa in uxorem, cui dedit pater suus in dotem irriguum superius et irriguum inferius.

Tandem Iosue mortuus est anno etatis sue CX et sepultus est in monte Epharim. Eleazar similiter, papa sive pontifex summus filius Aaron, mortuus est, et successit ei in pontificatu Phynees filius eius; et sepultus est in Siccem, in parte agri quem emerat Iacob a filiis Omor.

Ceteri autem duces post Moysen et Iosue nichil iuris in populo habuerunt, sed tantum sua prudentia et consilio populus in suis tribulationibus utebantur.

82. DE MEDIOLANO CIVITATE FLORENTISSIMA

Habraee sive etatis tertie anno V^CLXVIII, anno II^MV^CXVI, anno a prima constructione Mediolani CCCCLXVIII, anno post dationem legis in monte Syna LXXIII, anno ante Troye destructionem CCLVI, anno ante Rome constructionem MCXIII, anno ante destructionem Carthaginis MCLXVII, anno ante Mantuam CCXXVII, anno ante Papiam VIII^I^CXXXI, anno ante Christi nativitatem MVIII^I^CLXXV, anno ducatus Iosue XXII, eminente in populo Iudeorum Eleazaro summo pontifice, civitas Mediolanensis sub hoc nomine ‘Subria’ secundum Athlantem phylosophum in Cronicis constructa fuit, imo innovata. Unde isti habentur versus:

Data lege senis, denis iam quatuor annis
sol Iosue nutu stetit <in> axe reflexus,
necdum Troya fuit, nec Roma menia iecit:
mille centum denis tribus his addite cyclis.

7. Iude : Iuda *B* 15. Omor, recte Hemmor 82 - 10. imo innovata post constructa fuit *transposui* : *post quatuor annis in B (l. 12)* 14. in *supplevi iuxta CE (p. 222 Céngarle-David: in orbe)*

Eodem tempore, secundum Vicentium in Speculo, Cath, filius Hermetis Trimegysti dignoscitur extitisse, Europam rapuit Iupiter, rex Grecorum, Cathinus et Fenix apud Tyrum et Sydonem regnaverunt. Et secundum Agustinum libro XVIII De Civitate Dei, tempore Iosue Dionisius, qui et Liber pater sive Bachus, filius Iovis, in Athennensi terra hospiti suo vitem fertur ostendisse.

His temporibus Hercules claruit in Syria, Latona concubina Iovis peperit Apolinem, scilicet illum qui cum Hercule servivit regi Admeto, ut dicit Ugo Floracensis. Busiris tyrampus hospi- // (f. 207r) -tes suos ymolare solitus fuit, Vulcanus et Minerva, de quibus natus est Erictonius, tempore Iosue claruerunt. Ipse quoque Erictonius, quem Homerus vocat Erictheum, primus in Gretia quadrigas iunxit. Cathinus regnans in Thebi primus litteras Grecas invenit.

Et secundum Sicardum rex Danaus, qui Argorum regnum subiugaverat, per L filias suas procuravit interfici filios L fratris sui Egisti, uno tantum superstite, qui regnavit post eum. Tunc etiam temporis ludi musici instituti sunt Apolini Delfico, ut eius ira placaretur. Et de his omnibus per singula erit dicendum, sed prius de civitate Mediolani evenit disputandum.

83. QUESTIO DE ANTIQUITATE CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Queritur utrum civitas Mediolanensis fuerit constructa tempore Iosue, vel Habraee, vel Noe. Et videtur quod non, quia denominatio numquam fit a posteriori, sed a priori; sed porte civitatis Mediolanensis denominantur a civitatibus circumstantibus, quia una dicitur porta Romana, alia dicitur Cumana, alia dicitur Vercellina: ergo civitas Mediolanensis fuit constructa post omnes istas civitates, et per consequens non fuit constructa tempore Iosue, cum constet omnes istas civitates, scilicet Roma, Vercelle et Cume, esse novas civitates.

Preterea videmus quod civitates antique sua vetustate consumpte sunt, ut Ravenna, Aquilegia, Babilonia et Carthago atque Troya; sed civitas Mediolanensis semper floret, semper augetur: ergo non est de nume-

ro antiquissimarum civitatum.

In contrarium est Athlans in Cronicis, qui dicit quod fuit constructa tempore Iosue; aliqui dixerunt tempore Habraee; quidam dixerunt quod Noe ipsam construxit, ut supra habitum est eodem libro capitulo <<...>>. 15

Circa istam questionem nos fatiemus quinques partes, quia primo aducemus verba omnium actorum qui de ista civitate locuti fuerunt. Secundo declarabimus nomen principis qui primo eam fundavit et de primo nomine civitatis. Tertio ponemus causas quia fuit fundata inter duo flumina et de prodigio vulturum. Quarto narrabimus modum per quem fuit fundata. Quinto respondebimus ad argumenta. 20

Circa primum sic procedemus, quia ponemus primo dicta illorum qui dixerunt hanc civitatem esse magis novam, et de passu in passum reprobabimus dicta ipsorum, vel exponemus, vel aprobabimus. Beatus Barnabas apostolus in commendationem istius civitatis sic ait: «Perveni cum duobus discipulis meis, scilicet Gayo et Nathaleone, ad civitatem Mediolani, que post Romanam arcem famosissima habebatur parique dictione sublimis, et secunda post Romam occidentalis imperii infulas retentabat». Ex quo apparet quod tempore Christi et apostolorum civitas Mediolanensis cunctas mundi civitates post Romam excedebat. 25

Et hoc confirmatur per dicta Datii in Cronicis, qui dicit: «Romani principes civitatem Mediolani mirifice amplificaverunt, fundantes in circuitu muri tot altissimas turres quot sunt dies in anno, scilicet CCCLXV; et super sex portas civitatis erexerunt sex domicilia rotunda imperialia et more Romano fabricaverunt publica hedifitia et pallatia imperialia, et miro modo ipsam reddiderunt nobilem et decoram». 30

Item Orosius, ubi loquitur de victoria Marchi Claudii Marcelli consulis Romanorum, qui interfecit XXX^M Gallorum <anno> ante Christi adventum CCXXXII, sic dicit: «Inter multa Insubrium que // (f. 207v) Marcellus consul ad ditionem redigerat opida, Mediolanum quoque urbem florentissimam ceperunt». Ecce habetur quod, antequam Anibal inperator Carthaginensis Ytaliam intraret, civitas Mediolanensis dicta est florentissima, id est plena delitiis, divitiis et potentia militari.» 35

40. anno supplevi 42. ditionem correi iuxta Orosium : dedicationem B
43. ceperunt, sic B : cepit Orosius

Ad hoc idem facit quod dicit Detius Magnus Auxonus, vir illustris, in cathologo urbium nobilium (et habentur eius libri in archivio ecclexie Veronensis, et hoc ipsum refert Benzius in Cronicis). Dicit enim Detius Magnus Auxonus, loquens de civitate Mediolani, sic:

50 Et Mediolani mira omnia copia rerum,
innumere culque domus, faonda ingenia morum,
tum duplice muro amplificata loci species populique voluptas,
circus et inclusi moles cuneata teatri, templa
Pallatineque arces opulensque moneta
55 et regio Herculei, celebri sub honore lavacri,
cunctaque marmoreis ornata piscula signis
meniaque in valli formam circumdata lymbo.
Omniaque in magnis operum velut emula formis
excellunt, nec iuncta premit vicinia Rome».

60 Et est sensus verborum quod Maximianus imperator, cognominatus Herculianus, civitati Mediolanensi murum secundum erexit et civitatem amplificavit, quam ex suo cognomine civitatem Herculianam appellavit, ubi fabricavit fanum Herculis mirificum, quod nunc dicitur ecclesia Sancti Laurentii, ubi et coronatus fuit. Quod autem dicit de lavacro, intelligendum est quod fundavit termas, id est calida balnea, cum mirabili et sumptuoso theatro. Cetera autem que dicta sunt de moneta et palatiis et moribus civium clara sunt.

84. VERBA AUCTORUM MULTORUM DE ANTIQUITATE CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Prima autem oppinio illorum qui dixerunt hanc civitatem esse novam dicit quod Breno Senogallensis eam primo fundavit, cum prodigio suis sive porce mediolanee. Et ante alios auctores adducam dicta civium de

51. morum, recte virorum *iuxta Ausonium* (*Ordo urbium nobilium VII 1-8*) et *Bentium* (*XIV 136*) 56. piscula, recte periscula *iuxta Ausonium et Bentium*
58. in magnis, recte magnis *iuxta Ausonium et Bentium* 65. cum : quod *B*
66. sumptuoso : sumptuos *B*

Mediolano qui cronicas seu registra conscripserunt.

Dicit enim Bonvesinus in Cronica sua quod civitas Mediolanensis fuit constructa anno ante Christi nativitatem V^CLII vel V^CL, post Romanum CCX vel CCXII. Et Gothofredus de Busero dicit in Cronica sua quod Breno Senogallensis construxit civitatem Mediolanensem, Pergamum, Brixiam et Papiam anno ante Christi nativitatem VII^CLXII, post Romanum CC. Et Datius in Cronica dicit quod Breno civitatem Mediolanensem super omnes alias civitates mirifice adornavit. Et isti tres auctores fuerunt cives de Mediolano. 10

Nunc vero de auctoribus extrinsecis audiamus. Inquit Trochus Iustini abreviator quod Galli Senones Mediolanum, Comum, Pergamum, Brixiam et cetera. Et Iohannes Taurinensis in Cronicis dicit quod Breno construxit contra Romanum Mediolanum, Pergamum, Brixiam, Veronam, Senogallium et Senogallias. Et Iacobus de Voragine in Cronica sua dicit quod Breno construxit civitatem Mediolanensem anno post Romanum CCCXII, ante Christi nativitatem CCCL. 15
20

Contra omnes sex auctores, Benzius in Cronicis arguit sic dicens: «Non est adherendum quorundam fabulatoribus, qui scribunt vel autu-
25
mant civitatem Mediola- // (f. 208r) -nensem fuisse constructam per Brenonem. Nam teste Tytulivio per CC annos ante Brenonem Galli Celtici, duce Bellonenso, civitatem Mediolanensem condiderunt». Potuit enim esse quod Breno eam reparavit vel amplificavit, ut dicit Gothofredus Viterbiensis in Cronicis. Hec sunt dicta Benzii Alexandri-
30
ni, qui omnia dicta superiorum actorum teste Tytulivio annullavit sive destruxit. Hec sunt verba Tytulivii non mutando sententiam, sed Latinum mutatur in aliquibus.

85. VERBA TYTULIVII DE FUNDATIONE CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Prisco Tarquino Rome regnante, Celtarum gentium, que pars Galie tertia est, penes Biturices summa imperii fuit; hii enim Celticis regem dabant. Gallia Celtica idem est quod Gallia Lugdunensis, et quomodo est tertia pars Galie, et quomodo sunt tres Gallie (scilicet Celtica, Aquitaniensis et Belgica) habetur supra, libro secundo capitulo LXIIII et 5

LXV et LXVI. Eo tempore Ambigatus rex eorum fuit virtute, fortuna tum sua tum publica, prepollens, eo quod imperii eius Gallia adeo frugum et hominum fertilis fuit, ut habundans multitudo vix regi posset. Hic ipse iam magno natu, a pregravante turba exonerare regnum cupiens, Bellonensem et Segonensem, sororis filios, impigros iuvenes, missurum se esse dixit in quas sedes dii dedissent aguriis, et quantum ipsi vellent numerum hominum evocarent, ne qua gens arcere illos advenientes posset. Tunc Segonesso dati sunt Hercinei saltus, Bellonesso autem non paulo latiorem in Ytaliam dii dabant. Qui, quod ex populis eius habundabat, Byturices, Alvernos, Senones, Eduos, Ambares, Carnutes et Aulergos evocavit. Profectus igitur ingentibus peditum et equitum copiis inter Scapinos, id est in Transalpinos, venit. Alpes inde opposite erant, quas inexsuperabiles visas fuisse non equidem miror, dum nulla via, quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule – si fabulis credere licet – constet superatas fuisse. Ibi autem, cum septos Gallos teneret montium altitudo, et circumspectarent quanam parte per iuncta iuga celo in alium orbem terrarum transirent, religio etiam eos tenuit, quia allatum est advenas querentes agrum ad Salivum gente obpugnari. Masilienses tunc erant in navibus a Phoca profecti.

Ubi est sciendum quod Focas fuit frater Thesei regis Atheniensis, qui condidit civitatem quam secundum Papiam Fochis nominavit in provintia Gretie, cuius populi dicti sunt Fochenses. De quibus dicit Iustinus ex Trocho quod Fochensium iuventus sub principe dicto Masilio ostio Tyberis invecta cum Romanis pacem fecit; inde in ultimos Gallie sinus navibus profecta civitatem inter Lygures et Gallos condidit, quam ex nomine principis Masiliam nominavit, prope hostia Rodani fluminis. Hii cum Lyguribus et Gallis prelia multa gesserunt, et crevit civitas ultra quam credi posset. De istis dicit Tytulivius quod cives de Masilia, qui condam venerant in navibus a Phocis civitate Gretie, prestiterant Gallis Celticis magnum auxilium. Est et alia civitas dicta Massilia in Affrica, sita prope Athlantis et Hesperidum ortum.

85 - 17. inter Scapinos, *recte* in Triscapinos (*iuxta Benzium XIII 136*) vel in Triscastinos (*iuxta Livium V 34*) 20. septos : sceptos B 28. Masilio : Masilius B

Id Galli fortune sue omen rati esse ibi etiam adiuvere ut quem pri-
mum in terra ingressi occupaverant locum patentibus silvis // (f. 208v)
comunirent; per Taurinos igitur montes saltusque Iulie Alpis transcede-
runt fusisque atie Thuscis non procul a Ticino flumine, cum agrum in
quo concenderunt Insubrium appellari audivissent, cognomine Insubri-
bus pago Eduorum, ibi omen loci sequentes condiderunt urbem et
Mediolanum appellaverunt. Et infra ducentis quippe annis, antequam
Breno Romam invaderet, Mediolanum conditum fuit. Hec sunt verba
Tyttilivii, decade prima libro quinto.

40

45

Dictis Tytilivii aliam superadunt causam Ysidorus, Papias et Iustinus,
dientes quod Gallis in Ytaliam veniendi et sedes novas querendi intes-
tina discordia et continue domi dissensiones fuere causa, quarum tedio
in Ytaliam intraverunt; et dicit Iustinus quod fuerunt CCC^M hominum.

50

Benzius in Cronicis dicit quod in loco ubi fuit Mediolanum
constructum prius erat villa que dicebatur ‘Pagus Eduorum’, quia Tytus-
livius dicit «Insubribus pago Eduorum»; et similiter contrata dicebatur
Subria, quia Tytuslivius dicit «in agro Subrio». Per hoc quod dicit ‘Pagus
Eduorum’ intelligitur quia pagi sunt ville dicte a fontibus circa quos vil-
le consueverunt construi; unde pagi secundum Papiam sunt dicti quasi
uno fonte potantes: ‘perge’ enim in Greco idem est quod ‘fons’.

55

Ex his que dicta sunt manifeste concluditur quod civitas Mediola-
nensis fuit constructa ante Brenonis adventum in Ytaliam per annos CC,
anno ab Urbe condita CLX, anno XV^o regni Prisci Tarquini regis
Romanorum, anno ante Christi nativitatem VI^CLXXXII.

60

IN MARGINE

GALLIA CELTICA ET LUGDUNO

Gallia Celtica propter constructionem civitatis Lugdunensis, que facta
fuit ante Christi nativitatem XXVIII perdidit nomen antiquum et dicta
est Galia Lugdunensis. Dicitur autem Lugdunum, quasi ‘lucis dunum’, id
est ‘lucis mons’. In quo loco erat templum Dyane, ubi oratores in dicen-
do certabant, et qui vincebant cetero tempore ubique docebant. Nunc
habet archiepiscopum cum quatuor suffraganeis. Hic Innocentius quartus
concilium celebravit in quo depositum Federicum imperatorem huius
nominis secundum.

65

70

GALIA EST BYTURICA

75

80

In ista Gallia Lugdunensi sive Celtica fuit civitas Byturica secundum Tytilivium; sed dicit Orosius quod nunc pertinet ad Galliam Aquitaniam. Est autem civitas nobilis et habet archiepiscopum cum VII suffraganeis. Ista civitas fuit capud totius Gallie Celtice. Unde dicit Tytuslivius quod civitas Byturica habuit summum imperium et regem super totam provinciam ubi Ambigatus fuit rex, qui Gallos Celticos sive Lugdunenses, misit in Ytaliam. Qui Mediolanum, que tunc dicebatur Edua, amplificantes nominaverunt Mediolanum, per CC annos antequam Breno Senonensis intraret Ytaliam.

85

90

DE CIVITATE SENONAS

Item in Galia Lugdunensi sive Celtica est alia civitas dicta Senonis, cuius populi dicti sunt Galli Senones. Hii, ut dicit Amonius, Tuschos sedibus eorum expellentes condiderunt Mediolanum. Et post CC annos sub Brenone principe intraverunt Ytaliam, gens secundum Iustinum aspera, audax et bellicosa, et condiderunt Mediolanum, Comum, Brixiam, Pergamum, Veronam, Vicentiam et Tridentum; Romam capud orbis ceperunt. Et ab ista civitate Senonensi tota provintia dicitur Gallia Senonensis, perduto nomine primo. Et habet archiepiscopum et VII suffraganeos. // (f. 209r)

95

EDUA CIVITAS

Item in Gallia Lugdunensi sive Celtica est civitas dicta Edua que nunc dicitur Agustudunus; que, secundum Amonium, fuit tante potentie quod totius fere Gallie principatum optinuit. Hii cum intrassent Ytaliam, cum audissent agrum in quo consendisset dici civitatem Eduam, letati omni loci ibidem civitatem ipsam Eduam amplificantes nominaverunt Mediolanum.

86. QUOD CIVITAS MEDIOLANENSIS SECUNDUM TYTILIVIUM FUIT ANTIQUIOR QUAM IPSE VIDETUR DICERE

Secunda oppinio fuit quod civitas Mediolanensis fuit constructa per

73. secundum : scilicet *B* 87. Comum : Como *B*

longa tempora ante adventum Bellonensi sive Gallorum Celticorum in Ytaliam; quod ipsi probant per dicta Tyttilivii, quod civitas Mediolanensis per Gallos Celticos fuit condita Insubribus pago Eduorum. Per quod manifeste concluditur quod ibi erat pagus sive villa dicta Villa Eduorum. Quod autem Tytuslivius dicit «condiderunt Mediolanum», intelligitur ‘amplificaverunt’: sic Ninus condidit Ninive et Semiramis Babiloniam, non quod primo hedificaverunt, sed quia amplificaverunt. Quod autem dicitur quod patentibus silvis se communirent, intelligitur quod religio Gallos tenuit, id est sacramento se astrinxerunt quod se communirent, id est se defenderent ab hostibus et cuneatas aties componerent in omni valle, in omni monte et – quod plus esse videtur – etiam in silvis patentibus.

Frater Stephanardus, doctor et phylosophus, in Cronicis dicit patenter quod Galli multo labore, multa pugna expugnaverunt civitatem Mediolanensem, expulsis Thuscis; per quod datur intelligi quod non erat villa, ymo erat civitas fortissima. Et ut veritati perhybeatur testimonium, verba sive versus ipsius Stephanardi in medium adducamus, qui dicit sic:

Hanc tenuit forti Gallorum Marte iuventus,
Thuscis expulsis, patriis prius ipsa fugata
Laribus, haud patiens fraterni pondera belli.

Ex hoc sic arguitur: nullus potest expelli de civitate aliqua, nisi illa civitas esset constructa; sed Galli Celtici expullerunt Thuscos de Mediolano: ergo civitas Mediolanensis erat iam constructa.

Et hoc ipsum confirmatur per dicta Gothofredi Viterbiensis in libro qui dicitur Memoria Seculorum, qui dicit quod civitas Mediolanensis destruxit omnes civitates Lombardie per annos CLXXXVII antequam Roma fieret per Romulum. Et ut tante veritati testimonium verissimum adiungatur, verba ipsius Gothofredi in medium adducantur, qui dicit sic:

87. VERBA GOTHOFREDI EPISCOPI VITERBIENSIS DE ANTIQUITATE CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Priamus rex Troyanorum genuit filiam de qua natus est filius qui dictus est Priamus Iunior. Hic in finibus Ungarie construxit civitatem quam

5 vocavit Sycambriam, et populi dicti sunt Sycambrii, quorum vexillum fuit leo. Et fuit ipsorum imperium tam forte et tam famosum quod, egressi de provintia Ungarie, occupaverunt totam Alamaniam, Sveviam, Baveriam et omnes terras super Renum; et intrantes Ytaliam per-
 10 venerunt ad civitatem Mediolanensem, et confederati sunt et lygam fecerunt cum Mediolanensibus, tempore quo regnabat in Ierusalem rex Ioas, tempore Helysei pro- (*f. 209v*) -phete, regnante Aremo Silvio in regno Albanorum, anno ante Christi nativitatem VIII^CLXXV, ante Urbem conditam CXXXV, post Troye destructionem CCCVIII.

15 Et tempore Aventini regis Albanorum (quo tempore Ezezias rex Iuda destruxit serpentem) Sychambri recesserunt de Mediolano per montes Cumacinos facientes transitum; unde versus facti per ipsum Gothofredum Viterbiensem sic stant:

20 Nunc Mediolanos socios habuere Sychambri,
 viribus illorum suffulti pluribus annis.
 Tunc Brixianorum preripuere solum.
 Progenies Priami Lygurum capit undique plana.
 Amodo montana sathagunt captare Cumana,
 qua valide truite vivere semper amant.

25 Quidam dixerunt quod cives de Mediolano destruxerunt Brixiam et totum planum Lombardie auxilio Sychambriensium, tempore quo Eze-
 zias regnabat in Ierusalem et quo sol retrocessit X gradibus, tempore quo Romulus Romam construxit. Unde isti versus estant:

30 Roma Remo surgit, sol gradu concito vergit
 tempore quo Subriis Sychambrii federa pacis
 coniuncti, pugnis straverunt littora maris,
 Brixiam et Latium presserunt pondere necis.

88. QUOD CIVITAS MEDIOLANENSIS FUIT ANTIQUIOR QUAM DICAT
GOTHOFREDUS VITERBIENSIS

Hic est diligenter advertendum quod non dixit Gothofredus Viterbiensis quod civitas Mediolanensis coperit fieri tempore Carpentis regis vel Romuli, sed dicit quod erat tunc temporis tam potens et tam magna quam potuit destruere Brixiam et totum planum Lombardie. Ad quem statum non subito, sed per multa annorum curricula pervenit. Quod sic probatur.

Generatio civitatis in primo Politicorum, secundum Phylosophum, est naturalis; sed natura non operatur aliquid per saltum, sed per gradus et successive: ergo nulla civitas ad perfectum statum pervenire potest, nisi in multis annis. Probatio minoris videmus quod ex puer nuper nato non fit subito vir perfectus, ymo per gradus: primo est parvulus, postea puer, deinde iuvenis, postea infans, postea homo. Ad idem: videmus quod ex sole existente in Oriente non fit subito dies perfectus, ymo primo est aurora, postea mane, deinde tertia, postea sexta, deinde nona sive meridies, et tunc est dies perfectus. Ad idem: secundum Eutropium civitas Roma per gradus multos pervenit ad perfectum statum, quia in CCXVIII <annis> non potuit sibi subiugare de terretorio nisi XVIII miliaria. Cum ergo civitas Mediolanensis ad tam perfectum statum devenerit antequam Roma fieret, quod totam Ytaliam subiugaverit, oportet dicere quod per multos annos ante Romam fuerit constructa; et potest dici computando tempora quod fuerit constructa tempore destructionis Troye. Unde Stephanardus in Cronicis istius civitatis antiquitatem exprimere cupiens ait:

25

Urbs nota et felix, longoque cellebris evo,
Imperii condam sedes ac emula iuris.

89. VERBA PTHOLOMEI EPISCOPI DE TORSELO // (*f. 210r*) DE ANTIQUITATE CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Tertia oppinio de civitate Mediolanensis quod fuerit antiquissima fuit

88 - 13-14. primo... infans, *recte* primo est infans, postea parvulus, deinde puer, postea iuvenis 19. annis *supplevi* 23. tempore : temporis *B*

5 Ptholomeus episcopus Torselli in Cronicis, qui dicit quod post destructionem Troye in civitate Mediolani Mesenzius erat rex, cuius filius dictus est Lausus. Hanc civitatem Troyani invaserunt, scilicet Anglus, Belfortis, Barrus, Brianzius, Leucus, Paranzius et Burgarus. Hii VII principes civitatem Mediolanensem obsiderunt usque ad muros; que cum esset fortissima et inexpugnabilis, obsidionem a remotis posuerunt. VII civitates construxerunt, quia Anglus construxit civitatem Engleriam; Belfortis iuxta Varisium construxit civitatem quam ex suo nomine appellavit Belforth; Barrius in ripa laci de Leuco, in Monte Acuto, construxit civitatem dictam ex nomine suo Barri; Brianzius in monte construxit civitatem de Brianza, que monti nomen suum accommodavit; Leucus civitatem de Leuco; Paranzius Parazum iuxta Cremam; Burgarus in rippa Tycini fondavit civitatem dictam Burgaria, que toti contrate nomen accommodavit. Et quidam dictus Marthus construxit castrum Marthum, a quo tota contrata dicitur Marthesana. Et de hoc exstant isti versus:

10 15

Post Troyane bellum, Belforth, Engleria, Leucum,
 20 Barri, Brianzia, Marthumque Burgara bella
 movent et obsidunt, Paranzii iurgia movent.
 Hii Troyani duplo cinixerunt menia vallo.

25 Eodem tempore Eneas intravit Ytaliam et multas civitates construxit, et Anthenor civitatem Paduam fundavit; et erat tota Ytalia plena regnis et regibus et civitatibus et castris; unde Gothofredus Viterbiensis dicit quod Ytalia dicta Gretia Maior Troyam destruxit.

30 Facta est autem civitatis Mediolanensis obsidio anno ante Christi nativitatem secundum Orosium MCLXXXIII, anno ante Urbem conditam CCCCXXXI, post nativitatem Habraee sive etatis tertie VIII^CXXXV, post Troye destructionem anno tertio.

IN MARGINE

Parazum, civitas antiquissima, tanta heresi deturpata fuit quod ecclesia predicari fecit crucem contra ipsam. Et congregati sunt ad ipsius destructionem Mediolanenses, Papienses, Cremonenses, Brixianenses, Laude Vetus

et Pergamenses; et post longam obsidionem funditus diruta fuit et numquam rehedicata; et fuit prepositus de Pontirolo loco episcopi, utens mitra et dans beneficia. Ille civitates, que in ipsius obsidione laboraverunt, diviserunt episcopatum, quia ille civitates que confinia habuerunt cum ipsa civitate Parazo habuerunt temporalia, ut Mediolanenses, Pergamenses, Brixienes et Laude Vetus. Ille civitates que non erant in eius confiniis habuerunt iurisdictionem spiritualem, sicut Cremonenses, Papienses et Placentini. Sed Mediolanenses videntur habuisse meliorem portionem, quia habuerunt a torrente sive fluvio Morgora usque ad Abduam et ultra Abduam habuerunt insulam Fulcheriam, scilicet Trivilium et circumstantes terras. Populus civitatis Parazo congregatis construxerunt quoddam castrum, quod dictum fuit Gramma, id est ‘tristis’, quia ille populus tristitia fuit plenus propter destructionem sue civitatis; et modo illud castrum dicitur Crema, id est ‘frixonium Cremonensium’.

40

45

// (f. 210v)

90. QUOD CIVITAS MEDIOLANENSIS FUIT ANTIQUIOR QUAM DICAT PTHOLOMEUS

In hoc similiter passu est diligenter advertendum quod Troyani post Troye destructionem totum fere mundum subiugaverunt, tamen civitatem Mediolanensem devincere non potuerunt. Ex quo convincitur quod erat potens valde et fortis, nec ad tantum statum nec tam perfectum potuit ascendere subito, ymo post multa tempora, sicut supra probatum est per exempla pueri nuper nati et solis et urbis Rome. Ex quo habetur quod longo tempore ante Troye famosam destructionem erat constructa.

5

10

91. VERBA MICHAURI DE ANTIQUITATE CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Quarta oppinio de antiquitate urbis Mediolanensis fuit Michauri, qui dicit in Cronicis quod facta prima destructione Troye, que precessit famosam destructionem per annos LX vel circa hoc, quando scilicet Iason et Hercules et plures alii interfecerunt regem Laomedontam, patrem Priami regis, tunc de Troya egressi sunt multi principes ad diver-

5

10 sas partes mundi. Inter alios fuit unus dictus Pallas Troyanus: cum magno exercitu intravit Ytaliam et multas civitates construxit, et civitatem Mediolanensem invasit et violenter superavit et igne ferroque consumpsit, tempore quo in lambarinto inclusus erat Minotaurus. De ista ystoria in marmore antiquitus super portam civitatis Mediolanensis sculpti habebantur:

In Mediolano stante lambarintho prophano,
homine Troyano ruet estu Palladiano.

15 Unde in registris comunitatis Mediolanensis habuit quod tempore Thole iudicis Iudeorum fuit unus maximus ignis in Mediolano; ex quo patet quod civitas Mediolanensis iam erat constructa anno Habraee sive etatis tertie VII^CLXXV, anno ante Christi nativitatem fere MCC, anno ante urbem Romam <...>.

92. VERBA SOLINI DE CIVITATE MEDIOLANI

5 Quinta oppinio extrahitur ex dictis Solini de mirabilibus mundi qui, enarrans civitates factas in Ytalia per Grecos antequam Saturnus intraret Ytaliam (qui intravit ante Troye destructionem per annos CL), dicit quod Mesapus intrans Ytaliam incoluit civitatem quam ex suo nomine Mesopiam appellavit; unde ait: «Auctorum equalis sententia fuit quod Mesapus condidit civitatem Mesopiam, que postea dicta est Calabria, quam in sui exordio Oenotris frater Pucentius Pucentiam nuncupavit». Et habetur in libro Geonologia deorum quod iste Mesapus fuit filius 10 Saturni.

Quod autem ista verba dicantur de civitate Mediolani, specificat Ysidorus Ethymologiarum, ubi ait quod civitas Mediolanensis dicitur a sue mediolanea ibi inventa quam primo constructa fuit; quod reprobans ait: «Istoriis placet quod a Mesapo Greco dicta fuerit Mesopia, que deinde in nomen Calabrie conversa. Centorius, Pucentii frater, Pucentiam nominavit». Et quia ista civitas fuerit hiis nominibus appellata et aliis

91 - 10. de : et B 19. numerum deest, spatio vacuo relicto 92 - 15. Centorius, recte Oenotrius

pluribus nominibus, hii exstant versus:

Subria, Mesopia, Alba, Pucentia, Roma
 Secunda, sex vere mediolanea nomina sue,
 Edua, Calabria, Herculis est regio dicta. (Ex quo patet quod habuit 20
 novem).
 // (f. 211r) Thauromino cyclis flammis perusta rotundis.
 Septem iacturis totidem mutata loquellis;
 quatuor arietis bisque subacta bypennis,
 necdum erat diu Virgo puerpera Christi. 25

In quibusdam cronicis habetur quod iste Mesapus fuit rex Marsorum, qui cum Pellasgo de Gretia egressus intravit Ytaliam et ex suo nomine civitatem Mediolanensem nominavit Mesopiam, anno ante Christi nativitatem MCCCXXXI.

Ex his que dicta sunt concluditur talis ratio: nulla civitas superatur vel optinetur nisi per aliquod tempus ante fuerit constructa, vel ab aliquo auctore fundata; sed civitas Mediolanensis fuit optenta per regem Mesappum: ergo erat ante ista tempora fundata. 30

93. VERBA ATHLANTIS VIRI ILLISTRIS DE CIVITATE MEDOLANI

Sexta oppinio circa antiquitatem civitatis Mediolanensis fuit Athlantis phylosophy, viri illustrissimi, qui dicit in Cronicis quod civitas Mediolanensis fuit constructa tempore Iosue, quando sol stetit spatio dierum duorum; et hoc positum est supra, in principio istius questionis, capitulo <<...>>. Nec istud debet videri alicui impossibile, quia invenitur per rationes multas quod tempore Iosue erant in mundo homines plus quam CCCLX miliones, ex quibus poterant fieri civitates XXVIII miliones et VIII^C milia et plus, et quelibet civitas haberet V^C viros armatos cum mulieribus et parvulis sibi correspondentibus, qui communiter excedunt numerus virorum in septem partibus; et ista computatio habetur supra, libro primo capitulo <<...>>. 5

20. *in marg. inf. scripti sunt (a Bianchini?) hii versus: Quinque lustris dempti<s?> annis a mille nongentis / Christo nascente fundatur Subria Subre (e CU III 11) 93 - 7. multas : vivas B*

94. QUOD CIVITAS MEDIOLANI FUIT CONSTRUCTA TEMPORE
<HABRAEE>, ET QUOD DEBUIT ESSE PRIMA CIVITAS YTALIE

Octava oppinio tangitur per ipsum Athlanem phylosophum qui,
cum dixisset quod civitas Mediolanensis fuisse constructa tempore
Iosue, iterum subdens ait quod plures scripserunt quod fuit constructa
tempore Habraee, anno eius centesimo, scilicet quo natus est Ysaac, ante-
quam Habraam solveret decimas Melchisedech anno VII^o, post dillu-
vium anno CCCLXXXII, tempore quo Ninivas, filius Nini impera-
toris Asyriorum et regine Semiramis, cepit imperare, anno ante Christi
nativitatem MVIII^CXV, ante Troye destructionem CCCCLXXII, ante
Urbem conditam MCLXV, anno mundi MMXLVIII. Et ista oppinio
tangitur supra, eodem libro capitulo XI, ubi etiam tangitur quod fue-
runt qui dixerunt quod Noe construxit Ravenam, deinde in partibus
ubi nunc est Roma, construxit civitatem quam Noe cham appellavit;
postea construxit civitatem Mediolanensem. Et licet ista ultima oppinio
non sit multum autentica, tamen potest probari per rationes quod civi-
tas Mediolanensis fuit, vel esse debuit, antiquior civitas Ytalie.

Et formatur talis ratio. Ille locus est habitationi humane preellendus
qui est sibi ipsi magis sufficiens, et quanto paucioribus extraneis indiget
auxiliis, tanto ille locus est nobilior (unde videmus quod prudens natu-
ra preparavit lac in mamillis et vitellum in ovis; unde dixit Magnus
Alexander quod vituperabile est construere civitatem ubi deficit agro-
rum latitudo et grani copia, sicut ponere infantem nuper natum ad
mamillam nutricis lacte vacuam); sed civitas Mediolanensis est sibi ipsi
magis sufficiens quam aliqua civitas Ytalie: ergo est magis // (f. 211v)
elligibilis pro habitatione, et per consequens prius debuit habitari et prius
debuit fundari.

Minor probatur quia, secundum Victorinum, ille locus est optimus
ubi sunt campi lati et distinti et fructum et segetum larga habundantia,
et montium propinquitas conspicua, et nemora grata, et aquarum rivi
clarissimi et habundantissimi; cum ergo ista omnia sint in loco isto per
excellentiam, erit locus optimus et sufficientissimus.

94 - 2. Habraee supplevit Am : om. B : eo quod Ac 3. octava, recte septima
29. distinti : an distenti corrigendum? (id seq.) 31. habundantissimi : habundatis-
simi B

Et ut hoc clarius innothescat per singula discurramus; et primo de campis et ipsorum latitudine. Sunt enim campi largi et distinti ad Meridiem et Aquilonem per miliaria centum, quantum possunt XXX^M iuga bovum paria ad aratum scindere; qui bis in anno seminantur et uberes segetes producunt. Insuper producunt vinum in copia tanta quod nullus sufficeret enarrare, vinum siquidem clarum et nature humane consuum. Item fenum odoriferum, quod pluribus sufficeret civitatibus. Insuper linum et omnia genera leguminum. Ad omnem plagam iuncta sunt viridaria urbi sive pomeria, vernantia floribus, prata virentia inmensi odoris. Videres insuper agros cultos, arbores fructiferas, vineas redundantes racemis. Quid plura? Totum terretorium est quidam ortus deliciarum et puteus aquarum viventium: nam tanta est aquarum naturalis fecunditas ut in quocumque loco terra fodiat, statim fontes vivi et clarissimi scaturiunt, ubi nullo ingenio humano in modico tempore nascuntur pisces optimi et cancri nobilissimi. Montes sunt ab Aquilone non multum distantes ab urbe, ubi sunt herbe magis odorifere et medicinales quam in universo orbe contingeret reperiri. In montibus oritur ferrum et in fluminibus aurum optimum et argentum. Si agitatur de aere, dico quod aer continuis auris aquilonaribus perflatus clarissimus redditur. Vultus hominum sunt clarissimi et nimio rubore perfusi. Animalium intestina sunt sana et purissima; nec invenitur unus leprosus vel scabiosus seu insanus; gingive sunt integre, dentes sani, capita inperturbata. Que omnia, secundum Phylosophum, atestantur bonitati aeris et aquarum. Et quia aromata non nascuntur nisi in ardoribus solis et lana in algoribus nivium, ideo talium absentia sunt optime terre testimonia. Tamen nichilominus talia faciliter per mercatores deportantur; unde habundat terra equis nobilibus, pannis sericis, et subtilibus ornamentis, et armaturis excellentissimis, vollatilibus, animalibus silvestribus, nec est quicquam deliciarum quod isti desit civitati. Ex quo manifeste concluditur quod inter omnes civitates Ytalie ista primo debuit construi sive inhabitari.

53. sana : sanna *B* 59. pannis : panis *B*

65 Dictis hiis que pertinent ad antiquitatem istius civitatis, nunc comu-
niter dicamus quis fuit primus homo, vel quo nomine fuit vocatus qui
ipsam fundavit.

95. CIVITAS MEDIOLANI PRIMO DICTA FUIT SUBRIA

Quod autem ista civitas vocata fuerit Subria habetur ex dictis Tytili-
vii, decade prima libro quinto, ubi loquens de adventu Gallorum Celti-
 corum in Ytaliam ait: «Cum in agrum in quo conscenderunt Insubrium
 5 appellari audivissent, cognomen Insubribus pago Eduorum, ibi omen
 loci sequen- // (f. 212r) -tes condiderunt urbem, quam Mediolanum
 appellaverunt». Est ergo sensus quod civitas Mediolanensis est condita in
 loco sive terretorio urbis Subrie. Simile dicit Eutropius de Enea Troya-
 no quod venit in agrum Laurentum, id est terretorium civitatis Lauren-
 tie sive Laurente.

Item in libro qui dicitur Ystoria Troyana habetur quod civitas Medio-
 lanensis prius dicta fuit Subria, que toti provintie nomen accommodavit;
 unde populi Insubres dicti sunt. Et hoc est quod Eutropius et Tytuslivius,
 nominantes populos Lygures, addunt et populos Insubres, id est Me-
 diolanenses.

Item beatus Ambroxius archiepiscopus Mediolanensis dicit, et hoc
 refert Paulus in scriptis suis, quod civitatem Mediolanensem vocavit
 Subriam. Item in archivis ecclexie Paduane habetur quod civitas Me-
 diolanensis prius dicta fuit Subria. Et Helyus Spartanus in ronicis dicit
 20 quod Didius Iullianus, imperator Romanus, et avus suus paternus fuit
 Insubris Mediolanensis. Ex quo habetur expresse quod Subria et Medio-
 lanum sunt idem.

96. NOMEN PRIMI FONDATORIS CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Auctor sive primus fundator istius civitatis secundum Athlantem phy-
 losophum in Cronicis dictus est Subres, qui construens hanc civitatem
 ex suo nomine Subriam nominavit.

5 Quis autem fuerit iste Subres diversi diversa dixerunt, quorum dicta
 volo recitare. Ymago mundi dicit quod Hesperus, frater Promethei et

95 – 2. quod : quot *B* 5. cognomen, *recte cognominem iuxta Liv. V 34*

Athlantis gygantum, intravit Ytaliam et provintiam ex suo nomine vocavit Hesperiam. De isto nate sunt tres Hesperides; item genuit tres filios, scilicet Crotonium, Prarion et Subarim sive Subrem; et fuit primus fondator civitatis Mediolanensis, ut supra dictum est libro eodem, capitulo <<...>>. Alii dixerunt quod Tubal, filius Yapheth, qui construxit civitatem Ravenam, genuit filium qui dictus est Subres, qui civitatem Mediolanensem condidit Ravene contemporaneam. Quidam dixerunt quod iste Subres fuit binominus et dictus est Ianus Subres, de quo dicit Papias quod mensis Ianuarius dicitur a Iano sive Subre, eo quod sit initium mensium. Ubi est sciendum quod secundum Iosephum Iaphet, filius Noe, preter filios quos nominat scriptura, genuit duos filios, scilicet Ianum et Medium. Hic Ianus cognominatur Subres, qui condidit civitatem Mediolanensem. In quibusdam cronicis habetur quod populi dicti Troeceni de Gretia egressi condiderunt Subriam civitatem, sicut habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>.

Hoc idem probatur tali ratione: secundum Vegetum potissime nationes et principes commendati nullam maiorem gloriam putaverunt, quam novas fundare civitates, vel ab aliis conditas in nomen suum sub quadam <amplificatione> transferre; sed civitas Mediolanensis dicta est Subria, ut probatum est: ergo auctor dictus est Subres. Eodem modo potest fieri argumentatio de civitatis nomine per nomen actoris.

97. QUOMODO FUIT CONSTRUCTA CIVITAS MEDIOLANENSIS

Modus construendi hanc civitatem quam tenuit Subres, secundum quod colligitur ex diversis scripturis, fuit talis. Dicit enim Athlans vir illustris in Cronicis quod Subres, // (f. 212v) primus rex Mediolanensis, vir gyganteus cum multitudine gigantium tenentium archus et fundas, erat vir deditus astris, prestigiis et aguriis. Qui ab ydolis interrogavit ubi convenientior locus construende civitatis inveniretur; cui dii dixerunt: «Ubi videbis XII vultures stare crociantes, ibi civitatem fundabis».

Cum autem tunc temporis in toto plano Lombardie non esset nec civitas nec castrum, sed tantum nemora et silve, et longo tempore circuiret ut locum sibi a diis distinatum invenire posset, cum intrasset

locum medium in duo flumina, scilicet Abduam et Tycinum, et presagium vulturum datum foret, sub ascende astro leonis, thauro et vacha sub aratro iunctis in preoptationem fecunditatis prolis et segetis, terram in circulo fodit, murum erexit, menia iecit et ex suo nomine Subriam appellavit.

Homines autem qui cum ipso erant fuerunt corpore gigantes, moribus inculti, viribus robusti, pelliçeis vestiti, arcubus et fundis belantes, in venationibus continui, longo tempore viventes, prestigiis et aguriis dediti. Mulieres erant pulcre nimis, feroce, audace ultra modum.

98. DE PRIMO FANO SIVE ECCLEXIA CIVITATIS MEDIOLANENSIS

Primum templum sive fanum quod fuit in civitate Mediolanensi constructum fuit in loco qui dicitur ecclesia Sancti Iohannis ad Quatuor Faties. Ibi idolum militis in equo, qui erat ereum fusille deauratum. Capud militis fuit quadrum in modum trabis quadrate: in primo quadro erat sculpta ymago pueri iuvenis, in alio faties hominis, in alio faties senis, in alio faties viri decrepiti. Et hoc significat quod Ianus Subres distinxit annum in quatuor tempora: in ver, ecce pueritia, in homine estatem, in antiquo autumpnum, in decrepito yemem. Item est sciendum quod primum diem veris dixit ‘ianuam veris’ et primum diem estatis dixit ‘ianuam estatis’, et sic de aliis. Huic ydollo Iani consecrata sunt omnia principia humanorum actuum, et ista est ratio quare primo die Ianuarii, qui est primus dies anni, dantur streyne. Illud idollum fuit dedicatum astro solis, quia facit in anno CCCLXV dies et istud ydolum habebat in manu dextra numerum CCC et in manu sinistra numerum LXV, qui numerus anno solari competit. Habebat in manu clavam cum virga, quia omnium portarum et viarum rector extitit et custos; unde aliqui dixerunt quod inde dicitur locus ‘Ad maziam’ sive clavam, ubi nunc est ecclesia Sancti Domini ad Mazam. Et forte fuerunt duo ydola eiusdem scematis, quorum unum fuit ubi est ecclesia Sancti Iohannis ad Quatuor Faties, aliud positum fuit ubi est ecclesia Sancti Domini ad Maziam. Hec ystoria extrahitur ex dictis Papie, Ysidori, Athlantis et Benzii.

98 - 13. dantur : datur *B* 16. habebat : habet *B* 19. Domini, recte Domnini

99. DE MESAPO REGE MEDIOLANENSI ET ALIIS QUINQUE REGIBUS QUI
INTRAVERUNT YTALIAM

Ex his que dicta sunt manifeste colligitur quod civitas Mediolanensis constructa fuit per Noe, ut quidam dixerunt. Et hoc probatur per rationes naturales; et licet hoc non sit multum auten- // (f. 213r) 5 -ticum, hoc tamen est verum, quod fuit constructa anno nativitatis Habraee C, quo anno natus fuit Ysaac, sicut habetur supra, eodem libro capitulo XII. Deinde post CCCCLXVIII annos, tempore Iosue, fuit amplificata vel de novo renovata vel in nomine diversificata, ut supra dictum est eodem libro capitulo LXVIII.

10

Primus qui fundavit dictus rex Subres vel Ianus Subres. Ille qui rehēdificavit post annos CCCCLXVIII, dictus est rex Mesapus Grecus, de quo dicit Ysidorus quod Mediolanum a Mesapo Greco Mesopia dicta fuit, ut supra dictum est eodem libro capitulo LXVIII.

Quis autem fuerit iste Mesapus non est bene clarum: in libro De geanologia deorum habetur quod Mesapus fuit filius Saturni et frater Iovis regis Grecorum. Quidam dixerunt quod de partibus Orientis et Asie Maioris egressi sunt sex reges et intraverunt Ytaliā; quorum nomina sunt hec. Rex Marsus, cuius populi dicti sunt Marsii. Alter rex dictus est Hesperus et populi dicti sunt Hesperii, et Ytalia dicta est Hesperia, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Tertius dictus est rex Pellasgus Togatus, quia toga, id est veste rotunda, uteretur; a quo secundum Papiam reges Romanorum dicti sunt togate. Quartus dictus est rex Etruscus et populi eius dicti sunt Etrusci; et iste habitavit in partibus circa Romam, unde illa contrata condam dicta fuit Etruria. Quintus rex dictus est Rutillus et populi eius dicti sunt Rutilli; unde Turnus gigas dictus est rex Rutilorum. Sextus dictus est Mesapus et eius populi dicti sunt Mesopii, et ab eventu, eo quod fuerunt primi qui mortuis thura dederunt, dicti fuerunt Thusci; hic rex civitatem condam dictam Subriam nominavit Mesopiam, que nunc dicunt Mediolanum. Unde Isidorus et Stephanardus: «Civitas Mediolanensis semper fuit prescidium

15

20

25

30

99 - 9. vel de novo renovata vel in nomine diversificata *bis scriptum in B* 9-10.
supra dictum est : supra dictum est supra *B*

spetiale Thuscorum». Atamen Tytuslivius dicit sic, quod fuerunt XII populi qui secundum XII origines optimuerunt civitates XII. Unde eius verba in medium proferantur.

100. VERBA TYTILIVII DE ADVENTU THUSCORUM IN YTALIAM

Inquit enim Tytuslivius decade prima, libro quinto: «Ante Romanum imperium late terra marique opes Thuscorum patuere, mari supero inferroque, quibus Ytalia insule modo cingitur, quantum potuerunt nomina sunt argumento: quod alter inde Thuscum, alter inde Tyrenum (sive Adriaticum) comuni nomine sive vocabulo nominaretur. Inter utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis, et ultra Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum maris incoluunt, tenuere; quibus omnes suas consuetudines preter usum lingue comuni-
caverunt». Et nota quod ubi dicit Tytuslivius, qui erat Rome, ‘ultra Padum’, nos, qui sumus Mediolani, dicimus ‘citra Padum’; ex hoc expresse colligitur quod citra Padum Thusci civitates construxerunt, scilicet Mediolanum, ut supra dictum est.

Item notandum est quod, a tempore quo intraverunt isti populi dicti Thusci in Ytaliam, illi populi VI qui habitaverunt inter montes Appeninos, qui dicuntur montes Florentie versus Romam, dicti sunt populi Etrurie provintie ab Etrusco rege qui in illis partibus regnavit, et ex suo nomine totam provintiam Etruriam ap- // (f. 213v) -pellavit, que nunc dicitur Thuscia. Illi vero populi qui habitaverunt inter montes Florentie versus Mediolanum dicti sunt populi Mesopii, a Mesapo rege; qui ab eventu dandi thura mortuis dicti sunt Thusci, et tunc tota provintia dicta est Thuscia, usque ad tempora Gallorum Celticorum in Mediolanum, qui Thuscos de Mediolano eicierunt et usque ultra montes Florentie recedere choegerunt. Ex tunc illa provintia dicta est Thuscia usque in presentem diem.

Et quia Tytuslivius dicit de consuetudinibus Thuscorum que postea facte sunt consuetudines regum Romanorum et insignia imperatorum, et de huius sepius fit mentio in cronicis, ideo de his est aliquid diseren-
dum.

100 - 15. illi : quod illi *B*

101. SEX CONSUETUDINES THUSCORUM QUE POSITE SUNT IN YTALIA

Consuetudo prima regum Thuscorum, secundum quod colligitur ex dictis Tyttilivii, fuit quod utebantur thoga, id est veste rotunda de scarlato, que expansa super terram faciebat circulum. Hec vestis ex una parte colecta stabat super humerum sinistrum, reliqua pars descendebat sub humero destro, cuius similitudinem in sacris aspicimus. Unde dicit Tytuslivius quod reges Romanorum usum thoge acciperunt a Thuscis; et Papias ait quod imperatores propter togam qua utebantur dicti sunt reges togati.

Secunda consuetudo fuit quod utebantur curilli sella; et Papias ait quod curilis sella fuit quidam currus ornatus aureis stellis, cui desuper inerat cathedra in qua rex sedebat coronatus, et sic procedebat de loco ad locum; simile legitur de Cesare, quando procedebat ad Capitolium et spetialiter in hora mortis.

Tertia consuetudo fuit quod utebantur fascia, id est corona ferrea habente folea quasi lauri, et in circuitu erant filla aurea cum margaritis et lapidibus pretiosis; simile habetur de corona qua imperator coronatur in Mediolano.

Quarta consuetudo <fuit> quod omnia facta sua et bellorum even-
tus cum prestigiis et ligaturis horispitiis peragebant; unde dicit Ysidorus Ethimologiarum quod Astiagyes, unus de primis Thuscis, auguriandi scientia doctissimus, quosdam libros augures conscripsit, et arte magica fecit se invisibilem et sub terra se abscondit. Cum autem quidam rusticus terram aratro scinderet, hominem vidit de terra oriri; unde credidit ipsum esse filium terre. Qui libros augures rustico tradidit et subito dis-
paruit. Ex tunc scientia auguriandi per totam Ytaliam invalluit.

Quinta consuetudo fuit quod isti Thusci iuxta murum civitatis exte-
rius construebant unum spatium rotundum undique muratum, quod erat insitum ex arboribus fructiferis in tanta densitate quod incurrebat obscuritatem quam habent nemora magna, sive luci magni. Ibi erat fons vivus aut per cuniculos tractus. Super istum fontem sacerdotes fatiebant

101 - 2. prima : prima fuit *B* 3-4. rotunda de scarla-to : rotunda de scarlato rotun-
da *B* 19. fuit *supplevi* 24. hominem : et hominem *B*

suas incantationes et de futuris precinebant; unde locus interdum dicebatur Vaticanum. In isto loco non erat licitum alicui habitare vel arare vel quodcumque opus facere, et dicebatur iste locus comuni nomine ‘pomerium’ sive ‘poemerium’, quod apud nos dicitur brolium. Item intra civitatem iuxta murum interdum fiebat aliud brolium, eiusdem scematis sed parvum, et istud dicebatur broletum, id est ‘parvum // (f. 214r) brolium’. Et ad istum locum regine et uxores principum <ibant>, ubi flamines, id est episcopi gentium, futura phantastico spiritu predicebant. Quomodo autem possunt homines futura predicere habetur determinata una questio supra, libro primo capitulo <<...>>. Et in omnes mundi civitates, civitas Mediolanensis istorum locorum adhuc retinet nomina, quia extra civitatem fuit brolium et interius broletum.

Sexta consuetudo est quod quando rex procedebat in curru ante ipsum precedebant XII viri armati, cum gladiis evaginatis. Hii, in quantum precedebant currum, dicti sunt cursores; in quantum malefactores captos ante regis conspectum adducebant, dicti sunt aperidores; in quantum reos gladiis percutiebant, dicti sunt lictores.

Hee ergo sunt ille consuetudines quas Thusci in Ytaliam atullerunt et quas Mesopus rex in Mediolanensi civitate esse voluit.

102. INCIDENTIA DE DEO BACHO

Isto tempore, scilicet quo Iosue erat dux super Israel, secundum Agustinum, libro XVIII De Civitate Dei, Dyonisius, qui et Bachus sive Liber pater, claruit.

Ubi est sciendum quod Iupiter rex Grecorum habuit concubinam dictam Semeles, que fuit filia Cathini; nutrix istius puelle dicta est Berroe. Iupiter, volens comcubere cum Semelle, transfiguravit se ipsum in figuram Berroe nutricis et opressit Semellem, que genuit Bachum. Propter quod turbata Iuno uxor Iovis ipsam igne concremari fecit. Puerum autem nutritivit Ino, amita eius, et in foliis edere involvit, ne Iuno ipsum posset invenire; unde herba edera dicitur dedicata deo Bacho. Hic Bachus, factus magnus, teste Ovidio De Fastis, fuit primus qui in Athe-

38. ibant *supplevi* 44. ante : an *B* 45-46. precedebant... precedebant : procedebant... procedebant *B* 102 - 7. transfiguravit : tranfiguravit *B*

nis docuit extrahere vinum de uva et lac de mamis et mel de bricha. Ino autem, regina Athenarum et uxor Athematis, non sustinens Iunonis insidias eo quod Bachum nutrivisset, cum filio suo Pallemone fugit in Ytaliam; et Iuno venit in Ytaliam post ipsam, sed Hercules, qui tunc redibat de Yspania imperfecto Gerione rege Yspanie, ipsam liberavit. Et post pauca ipsa Ino regina facta fuit dea maris; et filius Pallemone dictus est deus Portunus, quia erat deus super omnes portus maris.

Et nota quod fuerunt plures dicti Liber pater, sive dicti Dionisii, sicut et fuerunt plures dicti Hercules. Hic Liber pater in India condidit civitatem quam nominavit Nisam et V^M hominum ibidem posuit. Ipse duxit uxorem Adrianam, filiam regis Minonis, et genuit filiam que dicta est Ysiles, et filium qui dictus est Thoas. Hic Thoas ex uxore sua Neptole, vel Nephyle, genuit filios, scilicet Frixum et Helles; mortua Neptole, Thoas duxit aliam uxorem que dicta est Iones, que odio habens filios suos omnibus modis interficere procurabat. Tunc ambo tullerunt arietem cuius vellus erat aureum et fugierunt quoad dicitur Colchos.

Hec omnia in subiecta patent figura.

[Figura 18]

// (f. 214v) 103. INCIDENTIA DE EVANDRO REGE YTALIE

Isto tempore Evander rex de Archadia profectus est in Ytaliam. Ubi est sciendum quod ante ista tempora secundum Solinum in libro de mirabilibus mundi iuventus Latina in loco ubi nunc est Roma quandam civitatem construxerunt quam Vallentiam nominaverunt, licet aliqui dixerunt quod Hercules Argivus eam fundaverit sub Capitolio et nominavit Vallentiam, quod Grece dicitur Roma. Ex quo patet quod ante Troye destructionem civitas Romana sub hoc nomine 'Roma' fuit hedi-
ficata ante tempora Romuli per annos CCCCXXX vel id circa.

Tunc Evander rex, cuius avus paternus dictus est Pallas et mater dicta est Nicostrata et vaticinio dicta est Carmentis (vel fatiloqua, id est fata loquentem), de Archadia, vel de regno Pelopenso, expulsus cum magna multitudine populorum Archadum, intravit Ytaliam, et iuxta flumen

23. Adrianam, *recte Arian(n)am* 28. quoad : quod *B* 103 - 12. loquentem, *sic B*

Tyberim opidum construxit quod ex nomine avi sui paterni appellavit
 15 opidum Pallateum, cuius altior pars dicta est arx; unde dicit Virgilius:

Tunc rex Evander Romane conditor arcis.

In pede montis Capitolini habitabat mater eius dicta Carmentis, ubi
 nunc est fanum Carmentis et porta dicta est Carmentalis. Evander acce-
 pit uxorem ex Sabinis et genuit filium qui dictus est Palas, a Pallade avo
 20 patris sui; item genuit filiam que dicta est Carmentis ex nomine avie sue,
 que tradita fuit Fauno regi, de qua natus est Latinus, sicut in arbore
 habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>.

De isto Evandro dicit Eutropius quod regnabat in quinque montibus,
 et Tytuslivius ait quod magis ea loca auctoritate quam imperio guberna-
 25 bat. Erat siquidem vir venerabilis miraculo litterarum inter rudes artium
 homines, venerabilior quoque habebatur ratione Nicostrate Carmentis
 matris sue, que quasi dea divinitatis reputabatur. Erantque tunc tempo-
 ris in eodem loco duo viri senes, scilicet Pynarius et Pontitius: de Pynar-
 30 ius descendit familia sive parentella Pynariorum, de Pontitio descendit
 familia Pontitiorum; que erant familie maxime et inclite quibus Her-
 cules sacra comisit.

104. INCIDENTIA DE HERCULE MAGNO

Tunc temporis, scilicet tempore Iosue, secundum Agustinum, Her-
 cules claruit in Syria. Et dicit Iustinus quod Gerio rex Hyspanie tanta
 5 armentorum copia claruit, ut pecorum preda Herculem alexerit ex Asia
 proficisci in Yspaniam, ubi armenta depredatus rex Gerio bello armenta
 repetiit navalii et terrestri certamine. Hercules in navi fortissima et lami-
 nis ereis munita cum rege Gerione pugnavit et ipsum interfecit; et
 armenta <abduxit et> transito monte Taurinorum Iulieque Alpis in Yta-
 10 liam venit. Et intrans Nemeam silvam leonem maximum per caudam
 aripiens, ipsum cum clava mactavit, cuius pellem in brachio sinistro ob
 victorie gloriam semper portavit. Propter quod in marmoribus sculptur
 tenens leonem per caudam et in alia manu habet clavam elevatam; cuius

similitudo in ecclesia Sancti Ambroxii de Mediolano aspicitur.

Inde progressus, sicut habetur in Poetario Maior, venit ad civitatem Cremonensem, ubi erant in speluncis subterraneis gygantes, // (f. 215r) qui civitatem depredabantur. Tunc Hercules liberavit Cremonenses a latronibus, quamquam alibi dicatur quod Theseus manu auxiliatori liberavit civitatem Cremonensem de manu cuiusdam magni tyramponi. 15

Deinde in nemore Parthemio Hercules alium leonem interfecit. Et perveniens Romam, ubi regnabat rex Evander, cum, secundum Tytumlivium, vacas mirabilis pulcritudinis prope fluvium Tyberim ad pascua misisset, et gravatus nimio sompno soporatus super terram acomberet, quidam vir ferox viribus, qui habitabat in monte Aventino, ignes emittebat et homines perdebat, qui dictus est Cachus, qui cum vacas Herculis fuisse furatus, Hercules ipsum clava sua mactavit. Quo audito, rex Evander supradictus ipsum dignum morte promulgavit; qui videns Herculem maiorem et grossiorem esse quam requireret humana natura, dixit ad eum: «Salve Hercules, filii Iovis! Michi Nicostrata Carmentis mater mea dixit quod in isto loco Troyani populi construent tibi altare, quod dicetur ‘Ara Herculis’». Tunc constructa est ara et unam vacam ymolari precepit per manus duorum senium supradictorum, scilicet Pynario et Pontitiano, qui fuerunt antistites longo tempore. 20 25

Refert etiam Solinus quod Rome in foro Boario conditum fuit sacellum, id est parva capella, nomine Herculis, ubi clava ipsius Herculis habetur recondita, cuius olfatu canes fugiunt. Hanc capellam nec musca nec canis ingredi potest. 30 35

Hercules de Roma versus Campaniam perrexit ubi secundum Ysidorum civitatem construxit et propter pompam bovum, quam de Yspania adduxerat, civitatem Pompeiam nominavit, ubi et regnavit. Qui tandem cum XII navibus in Frigiam vadens Ylion, id est Troyam, prima vice destruxit, ut infra dicetur. 40

Hic Hercules insidiis uxoris sue Dyanire, que ipsi camisiam venenatam misit, in monte Oeta in ignem se iniecit; quem filius eius Peantus nomine pyram erexit et ipsum inter deos esse translatum asseruit. Mortuus est autem anno etatis sue LII. 45

17. manu auxiliatori *sic B*; *cfr CU III 151* 32. Pontitiano, *recte* Pontitio ~ antistites : antistes *B*

Quomodo autem fuerunt quatuor Hercules habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>. Et quia hic fit mentio de civitate Cremona, ideo hic est sciendum quod, secundum Karinum in Cronicis, quidam princeps Grecorum dictus Brimonius intravit Ytaliam et in ripa Padi construxit civitatem, quam ex suo nomine Brimoniam appellavit; et secundum Benzium Brimonia idem est Cremona. Sed quando fuerit hedificata primo non habetur; sed constat ipsam esse vetustissimam, quia Hercules magnus, qui claruit ante Troye destructionem, ipsam a latronibus liberavit; propter quod datur intelligi quod per longa tempora ante fuit constructa.

105. GENERATIO HERCULIS

Genus Herculis <...>. Ubi est sciendum quod Amphytrion duxit uxorem filiam Nichei, regis Thebanorum, que dicta est Thealis vel Almena, sive Alchibiades. Cum Amphytrion cum Geta armigero suo inisset ad expugnandum quoddam regnum, Almena uxor eius in domo subterranea habitabat ut nullus ipsam videre posset. Iupiter arte mayca transfiguravit se in spetiem Amphytrionis viri eius et concubuit cum ea; et genuit filium qui dictus est Hercules Oeta sive Thebanus.

Hic Hercules duxit // (f. 215v) <uxorem> que dicta est Dianira, 10 filia Oenei, et genuit tres filios, scilicet Peantum, Lidum et Iolaum. Item habuit concubinam que dicta est Omphale, que ipsum filare fatiebat, et veste muliebri induebat, que genuit filium qui dictus est Cronus. Item de Romy concubina sua genuit filium qui dictus est Tritolomus.

15 Et sicut dicit Ovidius: «Hercules invasit insulam Euboyam in provincia Thesalie ut posset optinere Iolem, filiam regis Euriti quam amabat; quam cum optimisset, genuit ex ea duos filios, scilicet Lydum et Laminum».

[Figura 19]

105 - 2. post genus Herculis aliquid deest. An in subiecta patet figura supplendum (sententia transposita post Lydum et Laminum, Il. 16-17)? 5. expugnandum : expugnandam B 7. transfiguravit : tranfiguravit B 9. uxorem supplevi

106. INCIDENTIA DE BUSIRIDE QUI INTERFICIEBAT HOMINES

Habrael sive etatis tertie anno V^CXLVI, ante Romam conditam V^CLIII, ante Christi nativitatem anno MCCCCVI, tempore Iosue supradicti, Busyris tyrampnus extitisse dignoscitur. Ubi est sciendum quod Iupiter genuit Epasum, qui genuit filiam que dicta est Libia; ista fuit concubina Neptuni, filii Saturni, que genuit filium apud loca vicina fluvio Nyllo, qui dictus est Busiris sive Busirides, qui fuit rex Egipti. Ipse consueverat homines qui apud ipsum hospitabantur decapitare et capita in pariete suspendere et corpora equis suis dare ad manducandum. Cum autem Hercules ad ipsius domum pervenisset, cognoscens eius nequicias ipsum decapitavit et corpus eius equis tradidit.

107. INCIDENTIA DE RAPTU EUROPE

Eodem quoque tempore Iupiter rapuit duas Europas. Ubi est sciendum quod quidam rex Libie sive Africe, dictus Agenor, filius Belli Prisci et Libie regine, hic genuit duos filios, scilicet Cathinum et Fenicem, et filiam que dicta est Europa; hanc Iupiter adamavit et petiit a patre quod ipsam sibi daret uxorem, quod ipse facere recusavit. Tunc Iupiter navigio cum magno exercitu Cretensium et Grecorum, in navi cuius insigne erat thaurus, provintiam Libie sicut predo est agressus, et obsidens quoddam castrum in quo erat Europa ipsum optimuit, puellam rapuit et ad insulam Cretensem deduxit. Propter quod iratus Agenor, pater puelle, Cathinum filium suum post ipsam misit ut eam recuperaret. Sed sub quibusdam pactis Cathinus sororem tradidit Iovi in uxorem, et Iupiter ex nomine Europe uxoris sue tertiam partem mundi nuncupavit Europam. Que genuit tres filios quorum nomina sunt hec: Radematus, Sarpedones et Minos.

Hic Minos duxit uxorem Pasifen, filiam Solis, de qua genuit filium qui dictus est Androgeus et duas filias, scilicet Phederam et Adrianam. Rex Minos misit Androgeum filium suum Athenas ad studium; qui cum cunctos pueros in ludo palestre superaret, ab ipsis est // (f. 216r) occisus. Propter quod Minos rex civitatem Athenarum longa obsidione superavit. Federa, filia ipsius regis Minonis, fuit uxor Thesei, que nefan-

107 - 9. ipsum : ipsam *B*

do amore dillexit Ypolitum. Adriana vero fuit uxor Bachi sive Dyonisii, ut supra dictum est.

25 Hic est sciendum quod fuit alia Europa, filia Phenicis filii Agenoris supradicti, quam similiter Iupiter adamavit et raptam ad Ytaliam detulit; que postea nupsit Aristerio, qui dictus est Xantus rex Cretensis. Et ut videtur dicere Agustinus ista genuit tres filios, scilicet Radamatum, Sarpedonem et Minonem, qui fuerunt filii Aristerii et non Iovis. Et dicunt Ieronimus et Agustinus quod raptus Europe factus est bis, et quod
30 fuerunt due Europe.

108. INCIDENTIA DE CATHINO REGE THEBARUM

5 Eodem quoque tempore Cathinus et Fenix apud Sidonem regnaverunt. Ubi est sciendum quod fuerunt duo viri famosi, quorum quilibet dictus est Agenor: unus fuit rex Asie, alter rex Libie, id est Africe. De altero istorum, scilicet de Agenore rege Africe, natus est filius qui dictus est Cylix, qui in Asia Minore condidit civitatem quam ex sue nomine vocavit Cylitiam. De alio Agenore rege Asie secundum Benzium nati sunt Cathinus et Fenix et Europa. Cathinus in civitate Thebis in provintia Egipti nutritus, propter plagas quas Moyses intulit super Egiptum inde fugiens, perrexit in Gretiam, ubi construxit civitatem quam nominavit Boeriam, quam comunivit septem portis pulcerrimis; quam postea a civitate Thebis Egipti Thebas nominavit. Hic duxit in uxorem Harmoniam, filiam Martis et Veneris, et duxit similiter aliam uxorem que dicta est Syrinca, id est ‘armonica’, que propter Armonie zellum a viro discessit. Genuit autem Cathinus filium qui dictus est Layus et filiam que dicta est Semelles, mater Bachi.

10 Mortuo Catino, filius eius Layus regnavit in Thebis et duxit uxorem Iocastam nomine; que genuit filium qui dictus est Edipus, de quo predixerant dii quod patrem suum esset interfecturus, propter quod iussus est occidi. Quem mater, perforatis parvulo pedibus, in naviculam posuit; quem piscator invenit et Polipo regi Archadum tradidit, quem ipse diligenter nutrivit et videns eum pulcerrimum in filium adoptavit. Qui factus magnus patrem suum naturalem inscius sagitavit, et Iocastam

matrem suam inscius in uxorem accepit, et regnum Thebarum optimuit; et genuit de matre duos filios, scilicet Ethiochen et Poliniken, et duas filias, scilicet Antigonem et Hysmelem. Cum autem Edippus rex lavaret pedes, uxor videns stigmata in pedibus cognovit eum esse filium suum, et tantum fleverunt ambo quod ceci facti sunt. Tunc Ethiocles primogenitus regnavit pro patre et post tres annos pugnavit cum fratre. Tandem Argivi principes contra Thebas arma moverunt. Tunc Tyrisias, magnus vates et sacerdos Thebanorum, cuius filia dicta est Mantho vel Manthos, quod interpretatur divinatrix, excidium Thebanorum sive Thebarum ambo predixerunt; quod factum fuit anno tertio Abdon iudicis Israel, anno ante Troye // (f. 216v) destructionem LX. Et sic sequeretur quod non esset ita antiqua sicut dixit Miletus. 35

109. INCIDENTIA DE FENICE REGE BYTHINIE

Fenix, Cathini frater, temporibus Iosue claruit et condidit civitatem que dicta est Bythinia, que prius dicebatur Mirandina. A civitate Bythinia, que est in provintia Asie minoris, tota regio dicta est Bythinia.

110. INCIDENTIA DE APOLINE MEDICO

Isto tempore Latona, concubina Iovis, genuit Apolinem. Ubi est sciendum quod Cyeus genuit filiam que dicta est Latona, quam Iupiter habuit concubinam, et genuit unum filium qui dictus est Phebus et unam filiam que dicta est Dyana. Hic Phebus dictus est Apolo, et fuit ille Apolo, secundum Ugonem Floriacensem, qui cum Hercule servivit regi Ameto; unde dicunt Ysidorus et Papias quod Phebus et Apolo idem sunt. Hic Apolo genuit ex Hermone uxore sua filium qui dictus est Esculapius, et de Caliope genuit Orpheum, qui fuit optimus musicus. Item genuit alium qui dictus est Miletus, qui duxit uxorem Cyene, filiam Menandri, de qua genuit duos filios, scilicet Biblidem et Clauenum. Item Apollo sive Phebus genuit filium qui dictus est Oeta, rex Colchorum; hic Oeta de Ysea uxore sua genuit Medeam nigromantiam, uxorem Iasonis; et genuit ipse Oeta duos filios, scilicet Amphytum et Caliorem. 15

III. PLURES FUERUNT APOLINES

Fuerunt autem plures viri nominatissimi qui omnes dicti sunt Apollo. Unus dictus Apollo Delficus, qui responsa dabat, cui ludi musici instituti sunt, ut eius ira placaretur tempore Iosue, secundum Agustinum, qui etiam dicit quod fuit alter Apollo filius Latone; et hic Apolo non fuit ille cuius oracula consueverant consuli, sed fuit ille Apolo qui cum Hercule servivit regi Admeto. Per quod datur intelligi ex dictis Agustini quod fuerunt saltem duo Apolines et <de> isto agitur hic: alter autem Apollo dictus Delficus claruit tempore Delbore mulieris principis Iudeorum, anno nativitatis Habraee VII^C, ante conditam Urbem secundum Agustinum anno V^C, ante Christi nativitatem MCCLII. Hic duxit uxorem que dicta est Eglia sive Corona, et genuit filium qui dictus est Esculapius, quod interpretatur ‘dura fatiens’, quia dum nasceretur mater eius mortua fuit. Hic Apollo apud Grecos artem medecine adinvenit, quam Esculapius filius eius ampliavit: ideo ambo post mortem honores divinos promeruerunt.

Esculapio secundum Solinum in urbe Epidauro est templum fabricatum, ubi dantur per sompnia infirmis responsa. Cum autem pestilentia tribus annis Romam premeret, invenerunt sacerdotes in libris Sibile quod nunquam pestilentia cessaret, nisi Esculapius ab urbe Epidauro Romam adduceretur. Missi sunt legati Epidaurum ut Esculapium defereretur; quod cum Epydauri omnino recusarent, Esculapius in sompnis apparuit legatis, tenens in manu sinistra baculum in cuius circuitu erat unus serpens, cum altera manu tenebat barbam suam, et ait eis: «In formam draconis cristati vobiscum Romam veniam». // (f. 217r) Sequenti die apparuit serpens cristatus, templum et populum salutans tribus diebus, deinde navigio ductus est Romam et cessavit pestilentia.

Fuit alter dictus Apollo qui cognominatus est Sol, filius Yperion tytani, et soror dicta est Luna, cuius frater dictus est Osyris, rex Egipti, qui duxit Io in uxorem, ut supra dictum est.

112. DE VULCANO ET VENERE ET FILIIS EORUM

Tempore quoque Iosue claruerunt Vulcanus et Minerva. Ubi est sciendum quod Vulcanus fuit filius Iovis et Iunonis, cuius uxor dicta est

Venus, et genuit filium qui dictus est Cupido et Iochum. Item concubuit cum Minerva sorore sua; unde dicitur quod ipsa propter honestatem interposuit nubem in ipso concubitu ne videretur a fratre. Et genuit filium qui dictus est Erichtonius, quem Omerus vocat Ericteum, qui fuit primus qui in Gretia iunxit quadrigas; unde dicit Ysidorus quod anno XXVII Iosue Errichtonius in Troya primus quadrigas iunxit.

5

113. DE DANAO ET EGISTO FRATRIBUS

Eodem tempore, secundum Magistrum, Danaus et Egistus fratres fuisse dignoscuntur. Ubi est sciendum quod Iupiter de Io amasia sua genuit Epasum, qui genuit Bellum Priscum, qui genuit V filios, scilicet Bellum, patrem Didonis Carthaginensis, et Cilicem et Agenorem et Danaum et Egistum. Danaus fuit rex Argorum et habuit L filias, Egistus frater eius habuit L filios. Date sunt in uxores, imo in homicidas, L puelle Danay pueris Egisti, que omnes viros suos interfecerunt, excepto uno qui evasit et rex Argorum fuit. Hanc ystoriam sribit Ovidius epistolam.

5

10

114. DE OTONIEL IUDICE Iudeorum et CALEPH FRATRE EIUS

Habraee sive etatis tertie anno ^VC_{LXXII}, mundi autem ^{II}M_V^C_{XX}, ab egressu Egipti LXVII, a condito Mediolano CCCCLXXII, mortuo Iosue duce Iudeorum populi, creditur quod Caleph prefuit populo, sed propter temporis paucitatem non anumeratur nec ducibus nec iudicibus. Sed quicumque prefuerit, due tribus (scilicet Iuda et Symeon) ascenderunt in Yerusalem et incendio tradiderunt civitatem; ascendit etiam tribus Begniamin, sed non potuerunt eicere populos Iebuseos. Tunc tribus Iuda cepit Gazam et Ascalonem; cumque secundum mandatum Domini non interfecissent habitatores terre, insuper ydolis et libidini vacarent, tradidit eos Deus in manibus regum Mesopotame et Syrie servieruntque eis annis VII secundum Iosephum.

5

10

Rex Asyriorum dictus Cusasarchus populum Iudeorum VIII annis multis tributis opresso. Infra hoc spatium VIII annorum tribus Dan, que nundum possessiones habebat, cepit civitatem Lachis, quam vocaverunt Dan ex nomine Dan filii Iacob, et adoraverunt ydolum Miche. Demum clamantibus Iudeis ad Dominum propter afflictionem Cusasarchi regis

15

Asyriorum, suscitavit de eis liberationem Otoniel (qui secundum Iosephum cognominatus est Zeniz) de tribu Iuda, frater Caleph, vir industrius atque fortissimus, qui agressus exercitum Cusasarchi castra eius dirupit // (f. 217v) et expulit Asyrios ultra Eufratem; propter quam victoriam factus est iudex populi. Et quievit terra XXXII annis, et computatis VIII annis servitutis quievit terra annis XL: ideo dicitur quod Otoniel iudicavit populum annis XL. Et postea mortuus est Otoniel, cui successit in principatu Aioth.

115. DE UXORE LEVITE PROSTRUPATA

Temporibus Otoniel, viri civitatis Gaba de tribu Begniamin abusi sunt uxore Levite quoisque moriretur; quam Levita vir eius concidit in XII frustra sive partes et misit eas in omnes civitates Israel. Proinde filii Israel percusserunt viros civitatis Gaba et universam tribum Begniamin; et ceciderunt de Israel XL^M virorum pugnatorum et de tribu Begniamin XXXV^M et centum plus, et non remanserunt de tribu Begniamin nisi VI^C viri; et proposuerunt hanc tribum omnino delere, sed mutato consilio dederunt eis uxores CCCC virgines de civitate Iabes, quam destruxerunt quia secum ad bellandum non iverant, sibi alias in die festo rapi singulis singulas permiserunt. Et sic tribus Begniamin restituta fuit in sortem suam.

116. DE CERERE ET TRITOLOMO ET PROSERPINA

Isto tempore, secundum Agustum libro XVIII De Civitate Dei, mulier quedam dicta Cereres, quod interpretatur ‘terra’, invenit instrumenta arandi terram et usum ex frugibus et, cum homines triticum in archoniis componerent et per acervos mensurarent, ipsa docuit facere mensuras et mensurare granum; unde a Grecis dicta est secundum Magistrum Demetra, quod interpretatur ‘mensura’. Habuit filiam que dicta est Proserpina, quam rapuit Androgeus qui et Orchus, rex Molosorum, cuius ingens canis dictus Cerbarus Pontheum devoravit, qui cum Theseo ad raptum Proserpine venerat; sed et Theseum voluit devorare, quem in periculo mortis constitutum superveniens Hercules ipsum liberavit.

115 - 4. frustra, *sic B* 116 - 9. Pontheum, *recte* Pirithoum

Cum Proserpina fuisse abducta, mater eius Cereres supradicta filiam ubique perquirere cepit; et pervenit ad domum Tritolomi, qui fuit filius Celei regis Eleusine civitatis, quem Cereres adamavit et ipsum usum vini et instrumenta rustici operis docuit. Cum autem civitas Eleusina caretiam grani haberet, Ceres ipsum Triptolomum in longa navi in qua depictus erat draco oneratum tritico Eleusium misit, qui hominibus granum ministravit; propter quod dixerunt poete quod illa navis fuit draco, quia draco ibi erat depictus; quod autem dicitur quod fuit per aera deportatus unguibus alitibus et quod volaverit per aera, secundum Agustinum fictio fuit, licet simile de Magno Alexandro legatur quod per gryphones petierit alta aeris spatia.

[Figura 20]

// (f. 218r) 117. DE PLUTONE ET PROSERPINA; ET QUOD FUERUNT DUE PROSERPINE

Fuit autem Cereres filia Saturni regis Grecorum sive Cretensium; secundum Ysidorum dicta est Proserpina, eo quod dicatur ‘terra’ et ex terra proserpiant fruges. Ista concubuit cum Neptuno fratre suo, qui in spetiem equi transformatus ipsam impregnavit, et genuit filium qui dictus est Arion, equus Arastri. Item concubuit cum Iove fratre suo in insula Sicilie, et genuit filiam quam ex nomine suo vocavit Proserpinam; quam cum videret esse pulcerrimam, sub monte Ethna in loco fortissimo, in quadam turri, ipsam cum multis aliis puellis inclusit, et dabat operam lanifitio. Cum autem Pluto rex Sicilie ipsam adamaret, Venus, Juno et Palas ipsam ad colligendos flores per campos abduxerunt; rex autem Pluto in currilli sella advenit et Proserpinam rapuit. Et facta est regina Sicilie et genuit filium qui dictus est Ditis.

Quod autem dicitur quod Orchus rapuit Proserpinam, intelligitur de alia Proserpina, vel quia Pluto plura nomina habuit: nam dictus est Pluto et Alvergon et Charon et Alstefons et Echonus et Orpheneus.

Et nota quod fuit alia mulier dicta Cereres, que secundum Ysidorum

21. alitibus : alicibus *B* 117 - 7. Arastri, recte Adrasti

dicta est Vesta vel Vestalis, que fuit virgo perpetua et dea totius virginitatis et pudicitie; et dicta est dea ignis, quia ignis est elementum inviolabile nichilque nasci potest ex eo. Unde secundum Ysidorum dicta est alma, id est virgo perpetua, in cuius honorem puelle suam consecrabant virginitatem et dicebantur virgines dee Veste; quod si aliqua comisisset adulterium viva sub terra sepelliebatur, sicut patet de Helya, matre Remi et Romuli, que erat virgo vestalis. Ex hoc manifeste concluditur quod fuerunt due Cereres, quarum una fuit meretrix et dea terre, altera fuit virgo perpetua et dea ignis. Item fuerunt due Proserpine, scilicet mater et filia.

118. DE MINOTAURO

Temporibus quoque Othoniel iudicis Israel, claruit Minos rex Cretensis. Ubi est sciendum quod Minos fuit filius Iovis, vel ut alii dicunt fuit filius Aristerii sive Xanti, regis Cretensis; mater istius Minonis dicta est Europa, filia Phenicis regis, de qua supra dictum est libro eodem capitulo <<...>>.

Hic Minos rex duxit in uxorem filiam Solis dictam Pasiphen et genuit filium qui dictus est Androgeus et duas filias, scilicet Adrianam et Phederam, sicut dictum est. Dum autem rex Minos in obsidione civitatis Atheniensis persisteret propter ultionem mortis Androgei, filii sui, uxor eius Pasipha adamavit quendam notarium viri sui qui dictus est Thaurus, et concubuit cum ipso in domo Dedali, artificis mirabilis, qui de Athenis fugerat in Cretam; et genuit filium qui a vero et putativo patre, scilicet Tauro et Minone, dictus est Minotaurus. Hec comentator libri de pugna Pheustis et Alitie. Sed Albricus in poetario dicit quod Pasiphen, uxor Minonis, genuit duos filios: unum de Minone viro suo, alterum de Tauro notario suo; ideo dicitur quod peperit Minotaurum quasi mixtum genus, et concordat Servius in Cronicis.

Minos autem rex, superatis Atheniensibus domum rediens, audito quod Dedalus strupro uxoris sue consenserat, ipsum in carcere inclusit; quem regina liberavit et navi pyna- // (f. 218v) -de, sive habente allas, eo quod esset velocissimi cursus imposuit cum Ychareo filio suo et filiabus eius. Qui navigans aspitiendo Arcthon stelam in Ytaliam venit et in

provintiam Campanie ad civitatem Cumas atingit. Cum rex Minos ipsum usque in Ytaliam insequeretur, a filiabus Dedali sagitis perfossus est, ut dicit Eusebius sive Miletus. Cum autem Dedalus Campaniam at-
gisset, cavato quodam informi saxo templum ex eo fecit deo Apolini, cui
naves quibus fugerat consecravit.

25

[Figura 21]

119. OPPINIONES DE MINOTAURO

Quis autem fuerit iste Minotaurus diversi diversa dixerunt. Dicit enim Papias quod Minotaurus habuit caput tauri et reliquum corpus fuit hominis. Orosius dicit quod Minotaurus, sive homo sive bestia fuerit, hominibus tamen vescebatur. Ugo Floriacensis in Cronicis dicit quod fuit bestia lambarinto inclusa. Ysidorus capitulo de portentis dicit, et concordat Agustinus, quod ista ystoria de Minotauro fuit fabula. Ovidius dicit quod Minotaurus fuit semibos et semivir.

5

Et quia hoc est impossibile quod speties humana, que anima rationali per Creatorem humano corpori infunditur, alicui spetiei commisceatur, ydeo imitatus Agustinus, Isydorus, Ieronimus et Magistrum in ystoriis dico quod Minotaurus fuit homo verus filius Tauri notarii, qui tributarios Atheniensium pueros secundum Albericum in poetario recipiebat et in lambarinto diis ymolabat: ideo dicitur quod eos devorabat. Hunc Theseus in agone interfecit et ex tunc pueri Atheniensium a tributo liberati sunt.

10

15

120. DE LAMBERINTO ET DEDALO

Dedalus artifex mirabilis genere fuit Atheniensis, Eupalami filius; qui cum interfecisset filium sororis sue et morti esset adiudicatus, auxilio Minonis regis Cretensis liberatus ad insulam Cretam confugit. Hic fuit adinventor fabrice artis quantum ad muros et portas, aves ex metallo fecit quas inclusa vento avollare per aera artifitiose compulit, statuas cum pedibus ad invicem separatis primus fabricavit. Fecit etiam apud Cretas lamberintum in hunc modum, secundum Ysidorum: fuit enim hedifitium constructum ex perpensis parietibus, ut a parietibus porte intus tonitruum terrible fieret. Intus erant simulacra et monstra horibilia ad

5

10

videndum, ibi erat obscuritas mirabilis in quod si quis introyerit sine glo-
mere lini exire non posset. Et dicit Ysidorus quod quatuor Dedalus fecit
lamberintos: primus fuit in Creta, secundus in Egipto, tertius in Lemp-
no, qua- // (f. 219r) -rtus in Ytalia; qui omnes ita facti sunt ut dissolvi
non possent. Et licet dicat Benzius in Cronicis quod lambarintum Yta-
licum credatur fuisse Verone, tamen verius dicitur quod fuit in Mediola-
no, unde in marmore super pallatum comunitatis sic scriptum fuit:

In Mediolano stante lamberinto prophano,
homine Troyano ruet estu Paladiano.

20 Genus Dedali in hac patet figura.

[Figura 22]

121. DE PRIMA QUADRIGA

Eodem tempore secundum Sycardum Erictonius, filius Dardani regis
Dardanie urbis, regnavit pro patre, qui primus quadrigas iunxit in Dar-
dania id est Troya. Cuius filius dictus Pandion, rex Atheniensis, genuit
duas filias, scilicet Prognem et Philomenam. Eodem quoque tempore
Remeses, qui dictus est Egiptius, apud Egiptios regnare cepit et ex suo
nomine provintiam Egiptum nominavit.

122. DE AIOTH IUDICE Iudeorum

Habraee sive etatis tertie, anno VI^CXII, mundi autem anno II^MV^CLX,
ab egressu Egipti CVII, post conditum Mediolanum anno V^CXII, A-
yoth, qui et Hiud, filius Gera de tribu Begniamin factus dux super popu-
lum Iudeorum rexit populum annis LXXX. Cuius // (f. 219v) ystoria
ex Iosepho habetur magis clare. Qui dicit quod mortuo Othoniel Iudei,
legibus Dei contradicentes, Dei iuditio traditi sunt servituti maxime,
quia Elgon rex Moabitarum contra Iudeos bella movit et superavit;
regnum in Yericho sibi statuit, tributa gravia imposuit, nec malum ali-
quod reliquid quod populo non imposuerit annis XVIII. Tunc apud
regem Elgon magnus et carus nimis fuit Ayoth supradictus, qui in meri-

die ad lectum regis accessit quasi volens quoddam sompnum enarrare; qui percussit regem in latere et interfecit. Tunc Iudei arma capientes interfecerunt ex servis regis plus quam X^M et propter hoc factus est dux. Et quievit terra annis LXXX, computatis XVIII annis servitutis, et mortuus est Ayoth.

15

123. DE CIVITATE PISA; ET QUOD SUNT DUE PISSE

Habraee sive etatis tertie anno VI^CX, civitas constructa fuit in Liguribus, ubi nunc dicitur Thuscia, dicta Pisa vel Pise. Ubi est sciendum quod in Gretia est quedam civitas dicta Pisa, quam rex Pelops Argivorum dominus construxit; et dicit Ugo Floriacensis quod cives de Pisa Gretie egressi in Liguria condiderunt civitatem quam ex nomine prioris Pisae nominaverunt Pisae. Hanc civitatem preterfluit fluvius Arnus, et habet archiepiscopum cum quatuor suffraganeis.

5

124. DE IANO BYFRONTE IUNIORE; ET QUOD FUERUNT MULTI IANI

Tempore Aioth secundum Sycardum in Ytalia exortum est regnum Latinorum, ubi primo regnavit Ianus dictus Byfrons, filius Iovis, alter a Iano Byfronte filio Noe de quo supra dictum est libro secundo capitulo <<...>>. Benzius in Cronicis: anno ante conditam Urbem V^CLXXXI, ante Troye destructionem anno CL, ante Christi nativitatem MCCCXXXIII, Ianus Saturni nepos, id est abyaticus, regnavit in Ytalia annis XXXIIII.

5

Et dicit Macrobius quod fuerunt quatuor Iani: primus dictus est Yanus Geminus sive Bycorporeus; alter dictus est Yanus Pater, id est deus deorum; tertius dictus est Ianus Quirinus, ab asta que ‘quiris’ dicitur, quasi bellorum potentissimus; quartus dictus est Ianus Byfrons propter sapientiam, eo quod preterita noverit et futura. Fuerunt insuper plures alii dicti Iani, sicut supra dictum est libro eodem capitulo <<...>>.

10

125. DE SATURNO ET EIUS YDOLO

Hic Ianus Saturnum avum suum classe provectum hospitio recepit; qui, sibi asistente eodem Iano, in monte ubi nunc est Capitolium civitatem construxit quam ex suo nomine Saturniam appellavit, ubi regnabit annis XXX.

5

10

De quo dicit Iustinus Trochi abbreviator quod Saturnus habitavit in monte ubi nunc est Capitolium. Eutropius et Sycardus dicunt quod Saturnus habitavit in finibus Thuscie non procul ab Urbe in civitate dicta Saturnia, ubi primo triticum seminavit: unde ab agri sactione Saturnus dictus fuit; unde Romani eum appellant Stercutium, eo quod primus adinvenit mittere stercora in agris. Sycardus dicit quod in Ytalia regnavit Saturnus, // (f. 220r) qui Iovem filium de Gretia fugiens latuit in Ytalia; unde a tali latitatione Ytalia dicta fuit Latium.

15

Secundum Benzium in partibus provintie Etrurie, que nunc dicitur Thuscia, Saturnus latuit, ubi civitatem construxit quam a sua latitatione <Latium> nominavit, que postea dicta fuit Subtrium; et ab ista civitate provintia dicta est Latium. Hic rudes Thuscie populos, viventes ex glandis et qui habitabant in speluncis montium, docuit domos hedificare, et agros collere, vineas plantare, numos ereos cudere: propter que merita post mortem inter stellas est relatus. Eius ydolum pingitur habens capud vellatum et tenet falcem in manibus, quia messes falce colliguntur; sed capud habet vellatum quia latuit in Ytaliam. Unde dicit Ysidorus: «Saturniam civitatem Latiumque Saturnus in Ytalia condidit. Saturnia a Saturno dicta est, Latium a latendo dictum est, eo quod Saturnus fugiens latuisset». Et Solinus dicit: «A Saturno Latium atque Saturniam, a Iano Ianum dictam vel conditam, quis ignorat?». Hec tamen urbes desierunt. Et dicit Solinus quod Pelasgi, id est Greci ex Thesalia, primo litteras atulerunt. Eutropius: Saturne urbis ruine hactenus cernuntur in finibus Thuscie, non procul ab Urbe.

126. SATURNUS DUABUS VICIBUS INTRAVIT YTALIAM; ET <DE>
DUOBUS EIUS FILIIS

Saturnus duabus vicibus intravit Ytaliam: prima vice expulsus de Gretia per gygantes, et fuit cum eo Iupiter filius eius, sicut supra dictum est eodem libro capitulo XLII et XLIII et XLIII.

5

Secunda vice intravit Ytaliam expulsus de Gretia per Iovem filium suum, anno ante Christi nativitatem MCCLXXXVIII, anno ante conditam Romam V^CXLVII, anno ante Troye destructionem CXVI, et

125 - 16. Latium *supplevi* e Bentii Chronica XII 93 26. Ianum, recte Ianiculum ~ quis : qui B 126 - 1. de *supplevi*

regnavit in Ytalia annis XXX. Et dicit Iacobus de Voragine in Cronica
 quod Iupiter patrem eunuchizavit: et hoc iusto Dei iuditio, quia Satur-
 nus patrem suum Celium regem Cretensem castravit secundum Ysido-
rum (et hoc habetur supra, eodem libro capitulo XLII). In isto secundo
 adventu habuit secum duos filios suos, scilicet Pichum, qui regnavit post
 ipsum in Laurentum regno; alter dictus est Erigenes, qui regnavit in
 insula Sicilie.

10

15

127. INCIDENTIE PLURES

Isto tempore secundum Magistrum Troylus, rex in civitate Dardania,
 Troyam denominavit et, ut habetur ex Ystoria Franchorum, CLXXXV
 annis stetit; deinde capta fuit tempore Abdon iudicis Israel. Quere de ista
civitate supra, libro eodem, capitulo <<...>>. Bachus, qui et Dyonisius,
 in India condidit civitatem quam Nisam ex suo nomine appellavit.
 Amphyon regnabat Athenis. Ion regnabat in Gretia, unde Greci dicti
 sunt Iones et Ionichum mare. Achayus condidit Acchayam. Ericteus reg-
 nabat Athenis. Minerva claruit in Tratia provintia. Dilluvium in Achaia
 factum est.

5

10

128. DE CIVITATE CYRENE ET ARISTEO REGE ARCHADIE

Tunc temporis in Libia civitas Cyrene condita fuit. Ubi est sciendum
 quod in insula dicta Carameis fuit // (f. 220v) unus rex dictus Cyrnus,
 qui habuit filium qui dictus est Aristeus, sive Bacthos, qui erat mutus.
 Pater consuluit Apolinem Delficum quo modo filius eius loqui posset;
 qui respondit si construeret in monte Cyram, ubi sepulta erat virgo
 Cyrene pulcerrima, quam ipse Apollinis rapuerat, unam civitatem quam
 vocaret in honorem Cyrene virginis: quod cum factum esset, puer
 loquellam recepit; hec ex dictis Trochi et Iustini. Hic Aristeus in Archadia
 regnavit, ubi primus docuit melis usum et lac ad coagula mittere et
 solstitium docuit.

5

10

Ysidorus dicit quod Cirene, regina Libie, condidit civitatem quam ex
 suo nomine Cirenem appellavit; et concordat Papias. Ex Cronicis Mile-
ti sive Ieronimi habetur quod Cirene a Pelloensisibus in Libia condita
 fuit.

15

129. DE TANTALO REGE FRIGIE ET DE POMO INFERNI

Aioth etiam tempore secundum Sycardum claruit Tantalus. Ubi est sciendum quod Iupiter ex Tayeta filia Athlantis genuit quatuor filios, scilicet Appolinem, Thesalum, Lacedemon et Tantalum. Hic Tantalus genuit filium qui dictus est Pelopen. Hic Pellopen genuit quatuor filios, quorum nomina sunt hec: Agamenon, Menelaus, Atreus et Tygestes vel Terestris. Tantalus fuit rex Frigiorum et erat vir gyganteus; qui cum deos ad cenam invitasset et cibus deficeret, filium mactavit et diis cenam preparavit, propter quod infernum demeruit. Et data est ei pro pena quod habet aquam usque ad gutur et unum pomum super nasum, et semper sitit et esurit, nec umquam comedere vel bibere potuit; unde versus, secundum Petronium:

Nec bibit inter aquas, nec poma pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua fata premunt.
Divitis hec magni faties erit omnia laute,
qui tenet et sicco concoquit ore famem.

Fuit insuper hic Tantalus maximus phylosophus, unde dicit Ieronimus ad Paulinum: «Et de Tantali fonte potentem». Fuit autem alter Tantallus, rex Chorintorum.

Genus istius Tantali et fratrū eius in subiecta patet figura.

[Figura 23]

// (f. 221r) 130. DE RAPTU ET CURRU YPODOMIE

Pelops, filius Tantali, adamavit Ypodamiam, filiam Oenomani regis Elydis vel Pisanorum qui sunt in Gretia; que cum esset virgo pulcerrima multos habuit qui ipsam petebant uxorem. Pater eius iussit Myrthoy artifici maximo ut fabricaret currum velocissimum et posuit filiam super currum, et Myrthoy fuit auriga: quicumque eam petebat oportebat quod currili certamine eam superaret, et sic eam haberet; si non superaret,

129 - 9. *in margine (eiudem manus) in B:* et nota quod hic primo nominatur infernus ~ pena : penna B 130 - 4. pater : parter B

moriretur. Et sic per istum modum multi superati sunt et interfecti. Venit Pelops rex Argorum, et oculte dixit aurige: «Si feceris ut Ypodomiam possim superare, erit uxor mea, et tibi promito primum concubitum». Quo auditio Myrtoy fecit quatuor rotas de cera in curru puelle: cum autem ambo simul current, rote de cera sunt liquefacte et currus corruit, et sic Pelops rex puellam in uxorem habuit. Cum autem auriga sibi pactum servari postularet, rex Pelops ipsum in flumine precipitavit. Genuit autem Pellops quatuor supradictos filios.

10

Hic Pellops rex Argorum secundum Papiam condidit civitatem quam ex suo nomine Pelopeam vel Pelopensem nominavit. Et dicit Miletus, sive Ieronimus, quod Pelopensi regnans Olympiis prefuit, qui contra Ylium sive Troya arma sumens superatus est.

15

131. DE TYTIO ET EIUS PENA

Istius contemporaneus fuit Tantallo. Ubi est sciendum quod Ynachus rex Argivorum, de quo supra dictum est eodem libro capitulo XVI, genuit filiam que dicta est Io, sive Ysis dea Egiptiorum; hanc Iupiter adamavit et genuit filium qui dictus est Epaphus. Quod audiens Iuno, uxor eius (Iovis), eam mutavit in vacam, et tradita fuit ad custodiendum Argo habenti centum oculos; quam Iupiter ad priorem formam reduxit. Postea facta est dea Egipti, ut infra dicetur.

5

Hic Epafus, filius Iovis et Io, duxit uxorem Cassiam reginam Egipti, et genuit duos filios, scilicet Lybicum, a quo provintia Libia est denominata, et Bellum Priscum, qui genuit quinque filios, quorum nomina sunt hec: Bellus, Egistus, Danaus, Agenor et Cylix. Primogenitus dictus Bellus genuit quatuor filios, quorum nomina sunt hec: Abaces, Pygalion, Annaus et Dido Carthaginensis. Abaces primogenitus genuit Acrisium, qui genuit Dampnes, concubinam Iovis et matrem Persei. Secundogenitus Belli, dictus Egistus, genuit L filias, in quas una dicta est Ypermestra. Tertiogenitus Belli dictus est Danaus, genuit L filios, qui omnes uno excepto interempti sunt per L filias Egisti, ut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Alter dictus Cylix, a quo provintia Cylitia. Quartogenitus Belli dictus est Agenor; genuit quatuor filios, quorum nomina sunt hec: Cathinus, Europa amasia Iovis et Fenix, pater alterius

10

15

20

Europe que similiter fuit amasia Iovis, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Cathinus genuit quatuor filios quorum nomina sunt hec: Inonon, Agavem, Semeles concubina Iovis, de qua supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>, et genuit Tytium gigantem, de quo est presens sermo.

Hic Tytius gigas adamavit Latonam, matrem Apolinis minoris et Dyane, quam cum vellet oprimere imperfectus est sagitis Apolinis et Dyane. Ipse patriam // (f. 221v) propriam vendidit auro, et propter ista duo peccata, scilicet propter avaritiam et luxuriam, traditus est duobus vulturibus in inferno qui eius iecur continue corrodunt.

Hec omnia in subiecta patent figura.

[Figura 24]

132. DE TRIBUS <GORGONIBUS> ET PERSEO

Istis temporibus Perseus amputavit capud Gorgonis. Ubi est sciendum quod Focrus fuit filius Celii regis Cretensis et frater Saturni; hic Phocrus rex ditissimus genuit tres filias, quarum nomina sunt hec, scilicet Medusa, Stemo et Euriales, que dicte sunt Gorgones, id est terre cultrices: nam ‘ge’ idem est quod terra, ‘orgia’ idem est quod cultura. Fuerunt enim ditissime puelle, quarum pulcritudo erat tam fortis quod homines ipsas videntes non haberent ultra spiritum. Inter alias primogenita dicta est Medusa, que fuit ceteris magis sagax, et spacialiter fuit in bellis astutissima; contra quam Perseus, filius Iovis ex Dampnes concubina, sepius dimicavit. Cuius // (f. 222ra) astutiis cognitis, quia ipsa fugam simulabat et tunc fortius pugnabat, omnem eius substantiam diripuit; et ex hoc dicitur quod capud eius amputavit, sicut exponit Servius.

Tunc Perseus factus ditissimus regnum Athlantis invasit et ipsum in montem fugere compulit. Inde in Asiam profectus anno ante Urbem conditam VII^CLXXV totam provintiam occupans ex suo nomine vocavit regnum Persarum. Hic Perseus optinuit Andromadam in uxorem, cuius istoria talis est.

Dicit Ovidius <<...>>. supra, libro secundo capitulo X. Genus Gor-
gonum tale fuit.

20

[Figura 25]

133. DE ANDROMADE ET PERSEO

Cepheus, cuius frater dictus est Phyneus, duxit uxorem que dicta fuit Casiopes; hec genuit filiam que dicta est Andromada, quam desponsaverat Phyneus, frater patris. Cum autem Cassiopes esset pulcerrima et dice-
 ret se esse pulcriorem super omnes Nereydas, irate Nereydes Andromadam miserunt in Ethiopiam [bellue marine], quam Perseus liberavit et
 ipsam in coniugem accepit; de qua genuit duos filios, quorum nomina
 sunt hec: Agamenides et Gorgofones. Primogenitus Agamenides genuit
 Orcanum, qui genuit Leucotonum. Secundogenitus dictus Gorgofones
 genuit Eriteum, qui genuit Genonum, qui genuit Gorgontem, qui
 genuit Erithoneum, qui genuit Amphytrionem. Genus Persei talle fuit.

5

10

[Figura 26]

// (f. 222v) 134. DE IASONE ET PERSEO ET EQUO PEGASEO

Abaces, frater Didonis, genuit filium qui dictus est Acrisius. Alibi di-
citur quod Eulus, rex ventorum, genuit Acrisium, patrem Dampnes; ali-
 bi dicitur quod Iupiter ex Adria genuit Acrisium. Hic Acrisius rex genu-
 it plures filios, quorum nomina sunt hec, scilicet Heson, Pelias, Accestam
 et Dampnes. Primogenitus Hesuon genuit Iasonem, virum Medee; Iason
 genuit Emedontam. Secondogenitus dictus Pelias genuit multas filias; fi-
 liam dictam Accestem duxit uxorem Admetus rex, filius Thelamonis, fi-
 lii Iasii, filii Iovis. Hic Admetus ex uxore sua Acoste genuit <duas filias>,
 scilicet Cenobeam et Nisam, pro qua servivit Apollo regi Adameto cum
 Hercule per duos annos.

5

10

Dampnes fuit virgo pulcerrima, quam pater propter eius pulcri-

19. *spatium vacuum relictum (15 fere litterarum) in B post dicit Ovidius 133 - 6. bellue marine glossema in textu interiectum, ut videtur 134 - 9. duas filias supplevi*

15 tudenem in quadam turri ferrea inclusit; ad quam Iupiter transformatus in vellus aureum accessit et ipsam impregnavit de Perseo. Quod ut audiuit Acrisius pater eius, ipsam cum filio in quadam capsula ferrea inclusit et mari exposuit; quam ventus ad Italiam detulit. Quam cum quidam piscator invenisset, ipsam regi suo presentavit; quam videns pulcherrimam in uxorem duxit. Qui civitatem construens ipsam nominavit Ardeam, in distantia a Roma XVIII miliariis, ubi postea Turnus gigas regnavit.

20 Perseus autem in Ytalia nutritus, secundum Albertum in poetario dictus est Villaticus, eo quod navigio multas provincias pertransivit. Et Mile-
tus <dicit> quod habuit unum fratrem qui dictus est Ericteus, rex Atheniensis. Hic Perseus adhuc parvillus amputavit caput Meduse Gorgonis, regnum Persarum subiugavit, Africam superavit et finaliter Acrisium
25 regem Argivorum, avum suum maternum, non sponte interfecit et Argivorum regnum optimis. Eius equus secundum Agustum dictus est Bellofrons vel Pegasus alatus propter suam indicibilem velocitatem. In
quibusdam libris scribitur quod Perseus fuit primus rex Nicenarum. De quo dicit Agustinus in libro De Civitate Dei quod translatus est inter
30 deos cum Andromada, uxore sua.

[Figura 27]

135. DE FORMONE PRIMA VATE ET IONE

Eodem tempore secundum Sycardum in civitate Pythio claruit Formonodes, prima vates sive prophetissa, que secundum Eusebium et Miletum predixit futura versibus exametris.

5 Item isto // (f. 223r) tempore secundum Benzium claruit Iones vir fortissimus qui regnavit Athenis, a quo Athenienses secundum Ieronimum et Miletum dicti sunt Iones, licet Papias dicat quod Iones sive Grecci dicti sunt a Ioban filio Iapheth. Est autem Ionia pars Grecie.

10 Vallerius Maximus dicit quod Iones sunt qui unguenti et coronarum in convivio dandarum et secunde mense consuetudinem repererunt, non parve luxurie irritamenta.

22. dicit *supplevi* 27. alatus : allatus *B* ~ *velocita-* tem : *velocitate B*

136. DE EPOCENTAURIS

His quoque temporibus fuerunt secundum Sycardum epocentauri. Ubi est sciendum quod Celius rex Cretensis genuit filium qui dictus est Tytan; hic genuit VIII filios gigantes, qui dicti sunt ex patre suo Tytanes; quorum magis nominati sunt duo, scilicet Yperion et Flegyas. Hic Flegyas genuit filium qui dictus est Ysiona, qui fuit secretarius Iovis et voluit concubere cum Iunone uxore Iovis; illa nubem interposuit vento flante et nati sunt XXXV filii qui dicti sunt Epocentauri, quasi a vento geniti. Quorum nomina in subiecta patent figura.

[Figura 28]

// (f. 223v) 137. DE XII VENTIS

Temporibus quoque Ayoth, secundum Vicentium, Athenis regnabat Ericteus; cuius filia dicta est Orichia, quam Boreas, unus ex XII fratribus nominatis secundum nomina XII ventorum, rapuit. Ubi est sciendum quod Yperion, unus ex VIII Tytanis fratribus, genuit tres filios, scilicet Solem et Osyrim (virum Io, que dicitur Ysis) et Lunam. Osyris fuit rex Egipti et fuit deus Egiptiorum, et secundum Papiam cognominatus est Semphyr, et genuit filium qui dictus est Lycaon sive Licaona, rex Grecorum, qui genuit Cassides et Latonam, concubinam Iovis, et filium qui dictus est Egeon.

10

Hic Egeon genuit Ceum, qui dictus est Chesus, qui genuit Latonam uxorem Phebi iuxta illud: «Quomodo audetis Tytanidam genitam CEO Latonam preferre michi?» et cetera. Item Ceus genuit Astenes et alium filium qui dictus est Pimgalyon, qui genuit Asmerias, qui genuit Cerbarum, qui dictus est ‘canis Inferni’. De Cerbaro natus est Diristeus, qui duxit uxorem que dicta est Aurora, de qua genuit XII filios, quorum nomina sunt secundum nomina XII ventorum, scilicet Subsulanus, Euronothus, Nothus, Auster, Africus, Zephyrus, Chorus, Cyrcius, Boreas, Aquilo, Vulturnus et Eurus, sicut in presenti patet figura.

15

[Figura 29]

136 - 7. flante : flantem *B* 137 - 18. Euronothus : Euronustus *B* 19. Vulturnus : Nubernus *B*

// (f. 224r) 138. DE SANGAR IUDICE Iudeorum

Habrael sive etatis tertie anno VI^CLXXXI, mundi anno II^MVI^C-LXXVIII, ab egressu Egipti CLXXXVI, post conditum Mediolanum V^CLXXXI, Sangar filius Anath iudicavit populum anno uno. Iosephus nichil aliud de ipso dicit, sed Magister in ystoriis dicit quod tempore isto Phylestey populi voluerunt intrare terram Israel et iste Sangar, arepto uno vomere, interfecit VI^C viros ex Phyleteis et defendit populum Israel; et eodem anno vitam finivit.

139. DE CATHINA CIVITATE CICILIE ET DE FINE REGNI ARGIVORUM

Eodem tempore secundum Sycardum Cathinus in Ytalia condidit civitatem quam vocavit ex suo nomine Cathaniam. Papias dicit quod primo dicta est Cathina que fuit libidinosa, sed tempore Romuli dicta est Cathania, ubi requiescit beata Agata virgo. Eodem quoque tempore regnum Argivorum, quod duraverat annis V^CXLI, finitum fuit, et transivit ad Nicenas in personam Persei, qui Acrisium regem Argivorum interfecerat, ut supra dictum est.

140. DE DELBORA PROPHETISSA IUDICE Iudeorum

Habrael sive etatis tertie anno VI^CLXXXII, mundi II^MVI^CLXXX, ab egressu de Egipto anno CLXXXVII, post conditum Mediolanum anno V^CLXXXIII, Delbora prophetissa et Barach iudicaverunt populum Ysrael annis XL. Et dicit Iosephus quod Iudei nec Deum collebant, nec eius legibus obediebant: ideo tradidit eos Deus in servitutem Iabin regis Canaeorum, qui fuit de civitate Assor, que est super palludem Sacamachonitidem. Qui congregavit contra Iudeos exercitum, cuius dux Sysara secundus a rege; et habuit CCC^M virorum armatorum et X^M militum et III^M currium; qui superans Iudeos eos afflixit annis XX. Sed clamauerunt ad Dominum, qui suscitavit eis Delboram prophetissam de tribu Effrayn cum viro suo Barach vel Lapidoth. Qui congregaverunt secundum Iosephum X^M iuvenum sub monte Endor, in ripa torrentis Cyson, qui fluit in montes Thabor et Endor. Tunc Sysara dux populi cum ipsis pugnavit et superatus est; et exiliens de curru fugit ad domum

140 - 3. egressu : ingressu *B* 13. iuvenum : iuvenum et *B*

cuiusdam mulieris que dicta est Iael, uxor Abercynei, que recepit eum et prebuit ei poculum lactis, et soporatus obdormuit; tunc illa mulier infixit clavum in maxillam eius et cum maleo percutsum ad terram usque depositus. Et tunc adimpta est prophetia Delboore, que predixerat quod victoria fieret in manus mulieris. Et cantaverunt canticum Delbo-
ra et Barach secundum Magistrum in quo hortabantur populum ad benedicendum Domino.

20

Iosephus dicit quod Barach cum exercitu suo, audiens quod Yabyn rex supradictus veniret contra Iudeos et castra fixisset iuxta civitatem Assor, cum ipso pugnavit et ipsum interfecit, et civitatem Assor usque ad fun-
damenta destruxit. Et quievit terra annis XL, computatis annis servitutis et quietis.

25

141. DE NOMINIBUS CIVITATIS TROYE

Isto tempore secundum Vicentium Ylius condidit Ylion. Ubi est sciendum quod iste rex, Ylius nomine, secundum Ysidorum fuit filius Apo- // (f. 224v) -linis, et in provintia Frigia condidit civitatem quam ex suo nomine Ylium sive Ylion nominavit. Sed Gothofredus Viterbiensis dicit quod Ylius fuit filius Troyli regis Troyane civitatis, et habuit Ylius duos fratres, scilicet Ganimedem et Assaricum. Alibi dicitur quod Assaricus fuit filius Ylion, sed fuit opinio multorum quod Ylion est civitas, et Troya est nomen provintie. Unde dicit Ysidorus: Asia est locus conti-
nens medium partem mundi. In Asia est provintia dicta Frigia, in Frigia est regio sive provintia dicta Troya. In hac provintia est civitas quam condidit Ylius filius Apolinis. De ista civitate Ylion, et eius portis et tur-
ribus habetur supra, eodem libro capitulo LXIII.

5

10

142. DE LAURENTIA CIVITATE SIVE NOECHA SIVE SABINA

Regnum Laurentum fuit primum famosum regnum quod umquam fuerit in Ytalia, et sumpsit originem a civitate Laurentia, que postea secundum Gothofredum Viterbiensem dicta est civitas Sabinorum. De Laurentia civitate post Troye excidium translatum est regnum ad civi-
tatem Albam et dictum est regnum Albanorum. De Alba civitate trans-
latum est regnum ad civitatem Romam et dictum est regnum Romano-
5

rum, quod postea divisum est in XVIII regna, sicut habetur in Ystoria Longombarda.

¹⁰ Ubi tamen est advertendum quod regnum Laurentum, licet fuerit primum famosum regnum Ytalie, non tamen primum simpliciter: per longa enim tempora ante, Cameses primus habitator Ytalie in monte Pallatino, ubi nunc est Roma, civitatem Camescenam construxit, que toti provintie nomen accommodavit. Ianus Bycorporeus civitatem Ianiculum construxit, unde dicit Lygynus secutus Protarchum Tralianum quod Ianus cum Camesse eque indigena hanc terram dictam Ytaliam sic participatam possidebant, ut provintia diceretur Camescena et opidum diceretur Ianiculum. Et de hoc habetur supra, libro secundo capitulo <<...>>.

²⁰ In adventu Noe, qui civitatem Noecham construxit, ubi CLII annis regnavit, translatum est regnum de Camescena civitate sive Roma ad civitatem Noecham. Pichus filius regis Saturni hanc civitatem aut innovere aut ampliare cupiens, tempore Delbore prophete, inventa ibi lauro insigni, hanc civitatem Noecham vocavit Laurentiam. Unde dicit Papias: «Laurentia civitas sic dicta est ab insigni lauro in arce reperta», ubi primo regnavit Picus filius Saturni, ut supra dictum est proximo capitulo. Deinde transivit ad Albanos, postea rediit ad Camescenos qui Romani vocitantur. Quod autem dicitur quod Ianus et Saturnus primo regnaverunt in regno Laurentum, intelligitur per anticipationem.

143. IASON TULIT AUREUM VELLUS

⁵ Isto tempore, secundum Vicentium, Sycardum et Benzium, Hercules vastavit Ylion, id est Troyam, prima vice, per LXX annos vel idcirca ante famosam destructionem. Ubi est sciendum quod secundum Eusebium sive Ieronimum anno nativitatis Habraee VII^{CL}, secundum Augustinum ante Urbem conditam IIII^{CL}, ante Christi nativitatem secundum Orosium MCC, Pelias rex Pelloensis, Iasonem, fratris sui Esonis filium, in navi quam Argus ar- // (f. 225r) -chitecto mirabilis construxerat, versus Colchos, regis Oete regnum, pro optinendo vellere aureo transmisit. Et fuerunt cum eo iuvenes de Gretia multi nimis, ex quibus fuit Her-

cules et Pelleus, Thelamon, Nestor et Pilius, Castor et Polus fratres Helene; et dicitur istud bellum ‘de Argonautis’ ab Argo nautis. Iason de Gretia navigavit in Frigiam et pervenit ad portum Symeonta, quod erat iuxta Troyam; quod audiens rex Laomedonta turbatus prohybuit eis dari alimenta, nec quod possent ad terram descendere. Iason turbatus et omnes Greci qui erant cum illo inde recedentes pervenerunt ad regnum Colchos, ubi erat rex dictus Oeta, cuius filia dicta est Medea, maga calidissima, condam relicta Egei regis Atheniensis; que intuyta Iasonem, iuvenem pulcerrimum, ipsum adamavit. Et, promiso sibi coniugio, ipsa suis prestigiis et carminibus coegerit obedire Iasoni tauros spirantes ignem et draconem custodientem templum et vellus aureum, quod erat templum Iovi dedicatum. Quo facto, Iason ipsam accepit in uxorem; que cum vellere aureo Chorinthum venit, deinde in Gretiam venit. Hec ex dictis Daretis Frigii et Ditis Cretensis, qui bello Troyano interfuerunt.

144. TROYA DESTRUITUR PRIMA VICE

Tunc Laomedonta rex Troye habuit filiam que dicta est Esyones, propter quam fuit Troya destructa. Item habuit filium qui dictus est Primus, qui erat in Frigia cum exercitu. Fueruntque Laomedunte regi alii filii, scilicet Sipsius, Necontius, Achabitus et Necutius, et plures alii filii et filie, et gloria multa nimis.

Recordati autem iniuriarum eius, Iason, Hercules, Thelamon, Pelleus et Nestor, adiunctis sibi duobus fratribus Hellene quorum nomina sunt Castor et Polus, cum XII navibus et magno exercitu profecti sunt ad Troyam. Quibus Laomedonta rex Troyanus hostiliter occurrit, et comissa pugna Hercules et Thelamon oculte Troyam sive Ylion invaserunt et optinuerunt. Quo auditio Laomedonta rex de exercitu fugit ut civitati succurreret, et in via per hostes imperfectus est, et quatuor eius filii supradicti cum eo. Troya fuit destructa et Hesyones, filia Laomedonte regis, Thelamoni data est in uxorem. De ista Hesyone natus est Ayax Thelamonus, virorum fortissimus, cuius generatio talis fuit:

[Figura 30]

17-18. callidissima : calidissima *B* 22. que : quam *B*

// (f. 225v) 145. TROYA REHEDIFICATUR

Priamus, audita patris et fratrum suorum morte et rapto Esonis sororis sue, Troyam rediit cum uxore et filiis et accepto regno Troyane civitatis multos artifices de Asia et Europa congregavit et civitatem Ylion altissimis turribus communivit, Iovi Stratori consecravit. Provintiam quadratis muris cinsit, et fuerunt latera murorum in quolibet quadro in longitudine trium dytarum, et in universo fuit ambitus muri habens XII dietarum itineris, ut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Deinde Priamus totum cor suum posuit ut Esonem sororem suam recuperaret; et mitens Anthenorem per omnes civitates Grecorum, iussit ut a Grecis sibi redderetur soror sua, dicens non esse equum puerum regii generis habere captivam. Omnes principes verba eius despicerunt; propter quod Priamus in corde suo posuit aliquam ex reginis Grecorum diripere.

Et convocans quinque filios suos, scilicet Hectorem primogenitum et Paridem sive Alexandrum et Deyfebum et Helenum vatem et Troyulum Iuniorem, qui Hectore fortior habebatur, solicitatus est eos ut contra Grecos arma pararent. Item convocavit Anthenorem, Anchisem, Eneam, Deuchalionem, Polidamantam, Pygmalionem, Panthum et Lampontem, quos similiter ad arma provocabat, nisi Hesiones soror sua redderetur. Tunc tres filii Priami, scilicet Hector, Paris sive Alexander et Dyphebus et Troylus arma clamaverunt. Tunc aliqui vates contra hoc consilium plura dixerunt, scilicet Helenus, Panthus et Cassandra, qui communiter predixerunt quod, si Troyani aliquid mali contra Grecos atentarent, Troya destrueretur.

146. GENERATIO PRIAMI REGIS TROIE ET HECUBE UXORIS EIUS

Et quia genus Priami supra est descriptum, ideo nunc consequenter de genere Hecube dicendum evenit. Ubi est sciendum quod Iupiter ex Meronosyde nymphae, filia Menosis pastoris, concubina sua, genuit Acceum, ex cuius nomine provintia Accea fuit denominata, que nunc dicitur Accaya. Et genuit Dyamantem regem Achaye, qui duxit uxorem nomine Femeam filiam Agenoris, de qua genuit duos filios et duas filias.

145 - 2. rapto : raptum *B* 8. dietarum : dictarum *B* 21. tres, *sic B* 24. Troya : quod Troya *B*

Nomina filiorum sunt hec: Auxius et Asyus; nomina filiarum sunt hec: Hecuba et Ledea. Unde dixit Helena ad Priamum: «Ex Agenore nata fuit filia dicta Femela, de qua ordine recto nata est Hecuba uxor tua et Ledea mater mea». Quod ut Hecuba audivit, videlicet quod Helena nata esset de Ledea sorore sua, ipsam fuit amplexata tam fortiter quod de eius amplexibus evelli non poterat. Et de cetero quasi filiam nutravit, nec umquam permisit quod restitueretur Menelao. Istius Hecube generatio talis fuit:

10

15

[Figura 31]

// (f. 226r) 147. DE CENA DEORUM ET RAPTU HELENE

Tunc Paris sive Alexander, dum venatu iret per sylvam Ydeam, deus Mercurius per visum sibi apparuit. Cui obtulit tres deas, scilicet Iunonem, Venerem et Minervam, interrogans quenam pulcrior esset. Paris iudicavit pro Venere quod esset pulcrior. Tunc Venus promisit sibi pulcriorem mulierem totius Gretie.

5

Quam visionem dum Paris patri et fratribus retulisset, gavisus rex Priamus navem regiam filio parari iussit. Et misit cum eo alium filium qui dictus est Deyphebus et Eneam et Polidamantam, cum maximo appara-
tu utensilium auri et argenti et iuvenum electorum. Paris autem
navem concendit et navigans versus Cytheriam insullam, in mari
Menelaus vir Helene occurrit a casu et, miratus navem regiam Alexan-
dri, inspicerunt se invicem quo quisque ire velet. Tandem Paris sive
Alexander Spartam in domo Menelai hospitio receptus <est>.

10

Erat autem uxor Menelai Helena puella pulcrior mundi, cuius filia
dicta est Hermiones. Cum dies festus Argis Iunonis advenerat, et
Alexander phanum dee Veneris ymolaturus intravit, similiter Helena ad
festum venerat; et convenerunt ambo ad opidum Leam, ubi primo se
invicem viderunt et alterutrum concupiscentia exarserunt. Tunc Paris
Helena in navem rapuit, similiter Ethram et Climenam, consanguineas
Menelai; insuper phanum expoliavit, omnes thesauros Menelai abdu-
xit et ad portum Tenedon pervenit, et patri per nuntium rem gestam
intymavit.

15

20

147 - 14. est *supplevi* 19. concupiscentia : concupiscentiam *B*

25 Hec audiens, Menelaus, qui tunc erat in civitate Pyllo, rediit ad urbem Spartam; et post paucos dies Menelaus, Ulixes et Pallamides navigio venerunt Troyam, antequam Hellena vel Paris pervenissent. Qui ad Priamum ingresi, conquesti sunt de iniuriis Alexandri; quibus Priamus respondit: «Nundum Alexander venit. Mittemus pro eo et utraque pars audiatur».

148. HELLENA INTRAVIT TROYAM PRIMA VICE

5 Interim de portu Tenedon Paris cum Helena Troyam sunt ingressi; et mirati sunt universi de pulcritudine Helene, et pariter scelus violati hospitii horruerunt. Deinde ex altera parte Menelaus uxorem suam repetens in conctionem venit. Tunc Priamus ad Helenam dixit: «Cuius filia es tu?». Illa respondit: «Tua et uxor tue Hecuba sum consanguinea affinis, et tibi plus atinens quam ad Phylistenis filios». Et totum genus Priami texuit dicens ex Agenore eos pariter descendisse; quod sic probavit, quia: «Athlans duxit uxorem que dicta est Plexio, filia Danay, que genuit Electram, cui comixtus Iupiter genuit Dardanum. Ex quo deinceps tres reges Ylii, sive Troye, insecuri sunt. Agenoris filia, dicta Tayeta, ex Iove genuit Lacedemona, qui genuit Musculum, qui genuit Argallum, qui genuit Oebaly, qui genuit Tytaridem patrem meum. Item genuit filiam Agenor, que dicta est Femea, que genuit Hecubam et Ledeam matrem meam».

10 Cum autem concta recto ordine narrasset, Hecuba regina Helenam amplexa est, nec a suo // (f. 226v) amplexu divelli poterat. Tunc Priamus interrogavit Helenam: «Ecce – inquit – Menelaus vir tuus et Paris filius meus: quem vis habere maritum?». Illa flens orabat ne daretur Menelao, timens ne occideretur. Unde ellegit Paridem in virum suum, et tunc Priamus dedit eam in uxorem filio suo. Et licentians Menelaum dixit: «O viri Greci, rogavi quod michi soror mea Hesiones redderetur et non optimui; et vos me rogatis quod redam vobis Helenam, et non optinebitis». Quo dicto Menelaus, ira percussus, atroci vultu aspiciens Helenam, de conctione exivit et in Gretiam rediit.

15 Hec ystoria scripta est per Darem Frigium et Ditem Cretensem. Nec

oportet poetarum fictionibus inherere, quia Sibilla dicit quod Omerus fuit mendax; nec oportet Virgilium aut Ovidium imitari, quia non ystorice, sed lege artis poetice sunt locuti.

149. PRIMA DESTRUCTIO CIVITATIS MEDIOLANI; ET DE MULTIS CIVITATIBUS

Ex hac prima Ylii sive Troye destructione, in qua cives Troyani ad diversas partes mundi sunt dispersi, plures ad Ytaliam navigio per-
venerunt et plures civitates construxerunt. 5

Et tunc in regno Laurentum regnabat Picus rex sapiens, et in civitate Mediolanensi, que tunc Mesopia dicebatur, regnabat quidam rex dictus Eumanes, sicut habetur ex Cronica Michauri, qui hanc ystoriam litteris puniceis conscripsit. Dicit enim quod quidam princeps ex Troyanis, dictus Palladianus, cum multis sociis navigio intravit Ytaliam; nomina sotiorum sunt hec: Matusius filius Neptuni, qui fuit pater illius Mesentii qui genuit Lausum et regnavit in Mediolano, ut infra dicetur. Aliorum nomina sunt hec: Brimonius, Crisopolus, Lunus, Trax, Placentulus, Troylus, Ianus, Venus et filius eius Elitius. 10

150. PALLADIUS TROYANUS DESTRUxit MEDIOLANUM

Anno post conditam civitatem Mediolanensem V^CLXXXIII, sicut supra dictum est, Troya prima vice per Iasonem fuit destructa; et tunc magnus Troyanorum princeps, dictus Palladianus, civitatem Mediolanensem, ubi regnabat Eumanes rex, ipsam invasit, et superata urbe totam igne ferroque consumpsit, et regem Eumanem interfecit. Et ista fuit prima civitatis Mediolanensis destructio; unde antiquitus super portam civitatis Mediolanensis fuerunt inscripti isti versus: 5

In Mediolano stante lamberinto prophano
homine Troyano ruit estu Paladiano. 10

Destructa civitate Mediolanensi prima vice illo tempore quo Troya prima uice destructa fuit, quidam princeps ex Troyanis, dictus Mathusius, postea ipsam civitatem Mediolanensem incolluit. Cuius filius dictus est

Mesenzius; ibidem longo tempore regnavit; quem, secundum Eutropium, Eneas bello superatum occidit, ut infra dicetur in locis suis. De
 15 hac destructione habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>.

151. DE CREMONA QUE DICTA EST PRIUS BRIMONIA

Brimonius, sotius Palladis Troyani, civitatem construxit quam ex suo
 no- // (f. 227r) -mine Brimoniam nominavit. Est autem Brimonia,
secundum Benzium, idem quod Cremona. Et, ut habetur in Poetario
 5 Maiori, latrones gigantei habitantes domos subterraneas civitatem Cre-
 monensem devastabant, sed Hercules superveniens ipsam civitatem a
 latronibus liberavit. Et alibi dicitur quod Theseus civitatem Cremonen-
 sem manu auxiliatori a tyramnide liberavit.

In hac civitate ante Christi nativitatem studium generale floruit, ubi
 10 Virgilius aliquo tempore studuit. Hanc ciuitatem Octavianus imperator
 destruxit, que per annos V^C delecta remansit. Tunc Octavianus agros
 Cremonenses suis militibus confiscavit; qui cum non sufficerent, agros
 Mantuane urbis inter suos milites condivisit. Veniens autem Virgilius,
 genere Mantuanus, agros suos paternos ab Octaviano imperatore amico
 15 suo eos esse liberos impetravit. Unde Virgilius sic ait:

Mantue, ve misere, nimium vicina Cremone.

Post destructionem per annos V^C Cremona fuit rehedicata et nobi-
 lis et inclita facta, multa bella contra Mediolanum sepius commisit, et
 finaliter subacta et in dedicationem recepta subcubuit. Unde Benzius in
 20 Cronicis, ubi agit de provintia Lombardie, sic dicit: «Mediolanum enim
 florentissimum totam Lombardiam floridam reddit. Comum vel Coma-
 na civitas velud murus plane Lombardie sive Lygurie, eiusque clavigera
 situ montium et ytinerum angustiis inexpugnabilem esse demonstrat.
 Papia, in qua regum sedes esse consuevit, provintie possedit delitias. Pla-
 25 centia sua placibilitate ipsam illustravit. Brixia generosis viris et formosis
 illam reddit inclitam. Cremona sua mirabili potentia et viris sapientia

151 – 15. eos : *an expungendum?* 21. reddit (*iuxta Benzium*) : rediit B 26. reddit (*iuxta Benzium*) : rediit B

illustribus ostendit magnificam et famosam». Et subdit Benzius: «Et si quid pretiosum de istis civitatibus sum locutus, nullus miretur, quoniam Papia suas delitias mutavit in penuriam, Placentia suam placibilitatem in displicitiam, Brixia generositatem in perfidiam, Cremona famam in famem sive paupertatem suis intestinis seditionibus commutasse dignoscuntur», et sub Mediolanensium iugo premuntur.

30

152. DE PARMA, QUE PRIUS DICTA FUIT CRISOPOLIS SIVE IULIA

Crisopolus, alter Palladis Troyani sotius, in provintia Emilie civitatem construxit quam ex suo nomine Crisopolim nominavit, quod interpretatur ‘civitas aurea’: nam ‘crisis’ Grece sonat aurum et ‘polim’ civitas. Hec postea a Iulio Cesare dicta est Iullia, nunc a flumine dicto Parma civitas Parma dicitur. De hac civitate scribunt Miletus sive Ieronimus et Eusebius quod Parma et Mutina a Romanis colonie condite sunt in Galia Thogata, post Romam anno V^CLXVII, ante Christi nativitatem CLXXXV. Unde ante baxilicam Sancti Domini in Burgo in marmore est sculptum sic: «Iulia civitas Crisopoli distat a corpore beati Domini XV° miliario». Iuxta hanc civitatem Federicus imperator, huius nominis secundus, anno Christi MCCXLVIII, aliam condidit civitatem que dicta est Victoria, que infra modicum tempus fuit destructa. Et tunc imperator suam perdidit coronam, que postea restituta fuit Henrico imperatori obsidenti Brixiam, anno Christi MCCCXI. Huius civitatis sigillum sic habet inscriptum:

5

10

15

Hostis turbetur, quia Parmam Virgo tuetur. // (f. 227v)

153. DE CIVITATE BRIXIA, QUE PRIUS DICTA FUIT TRATIA

Trax Troyanus in provintia Venetiarum condidit civitatem quam ex suo nomine Tratiam nominavit, que toti provintie nomen dedit. Unde in legenda sanctorum Faustini et Iovite habetur quod Aurelianus imperator venit Brixiam in provintia Tratiarum. Postea dicta est Brixia, id est ‘Brenonis syon’ sive ‘speculum’, quia Breno Senogallensis eam rehedefi- cavit.

5

30. displicitiam : displicitia *B* ~ Cremona : Cremonam *B* 32. Mediolanensium : Mediolanum *B* 153 - 2. Troyanus : Troyanus civitatem *B*

Eius maxima antiquitas in hoc apparet, quia Gothofredus Viterbiensis in Cronicis dicit quod Brixia fuit delecta per Mediolanenses, auxilio Sichambriensium, anno ante Romam conditam CXXXV, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Similiter sua notatur antiquitas quia beatus Barnabas apostulus, urbis Mediolanensis archiepiscopus, isti civitati primum dedit episcopum Anathaleonem nomine. Dicunt autem Miletus, Eusebius, Iustinus et Paulus Longobardus quod Galli Senones condiderunt Brixiam in Galia Cysalpina. Hec est civitas nobilis valde, nobilium uirorum ac fontium ubertate famosa, nunc autem Mediolanensium iugo subiecta.

154. DE CIVITATE PLACENTIA SIVE AGUSTA, ET SUNT DUE PLACENTIE
 Placentulus Troyanus iuxta Padi fluenta civitatem construxit quam ex suo nomine Placentiam appellavit. In Ystoria Lombarda dicitur quod in provintia Emilia Placentia urbs placita condita est. Unde quidam scripserunt: a verbo ‘placeo’ sumpsit Placentia nomen. Quidam dixerunt quod a Pucentio, socio Bellonensi ducis Gallorum ante Brenonis in Ytaliam adventum, dicta est Pucentia; quod Benzius reprobat in Cronicis, dicens quod hoc intelligitur de quadam civitate sita super Danubium, que dicitur Pucen. Ysidorus Ethimologiarum dicit quod civitas Mediolanensis dicta est Mesopia a Mesapo Greco, que postmodum versa est in nomen Callabrie, quam in exordio Enotrii frater Pucentius Pucentiam appellavit. Est et alia civitas in Yspania dicta Placentia sub archiepiscopo Emeritensi, ut habetur in Pontificali ecclesie Romane. Tituslivius, ubi loquitur de transitu Anibalis in Alpibus, hanc civitatem nominat Placentiam.

Deinde ab Agusto Cesare quidam fluvius dictus est Agusta, a quo tota civitas Agusta dicta fuit. Nunc comuni vocabulo dicitur Placentia, que Mediolanensium potentia iacet subiecta. Est et alia Agusta cognominata Pretoria in Burgondia, non longe a civitate Yporrigia, que fuit condita anno post Romanam VII^CXXIII, ante Christi nativitatem XXVIII.

155. DE ALBA PEDEMONTIS, QUE PRIUS DICTA FUIT TROYA
 Troylus Troyanus condidit in Pedemonte civitatem que dicta est Troya; quam, cum Federicus huius nominis primus auxilio Papiensium

fretus obsideret <et> in aurora diei sive in alba diei optinuisse, a tali hora diei civitas est dicta Alba. Et secundum hoc verificatur quod dicunt cives de Papia, quod interfuerunt obsidioni Troye.

5

156. DE CIVITATE IANUA

Ianus Troyanus similiter hoc tempore in rippa maris civitatem construxit // (f. 228r) quam ex suo nomine Ianuam appellavit. Sed Iacobus de Voragine dicit quod ista civitas fuit per Ianum Troyanum rehedifica-
ta sive ampliata. Quis autem primo eam construxerit habetur supra,
eodem libro capitulo <<...>>.

5

157. DE CIVITATE VERCELLA

Venus Troyana mulier nobilissima cum filio suo, cui nomen erat Eli-
tius, intravit Ytalam, ubi parvam domum, que dicitur cella, construxit;
quam ex eius nomine dicta est populi Veneris Cellam dixerunt. Hanc
quidam autumni sunt esse civitatem Vercellensem, que dicitur Vercella,
id est ‘Veneris cella’. De ista civitate habetur in gestis beati Eusebii quod
Liguriarum primatum urbium retinebat, quem postea primatum Medio-
lanum retinuit.

5

Ex quibus verbis quidam dixerunt quod ista civitas fuit metropolis et
quod archiepiscopalem sedem optimis. Alii dixerunt, et refert Benzius in Cronicis, quod non fuit ab antiquo nec de iure primitivo sedes archie-
episcopal, sed casu urgente et ad tempus. Nam cum arriana invallesce-
ret pestis et quidam archiepiscopus tunc Mediolani Auxanus nomine
esset perfidissimus arrianus, papa Eusebium episcopum Vercellensem in-
stituit super totam Ytalam legatum generalem. Qui etiam beato Dionisio dixit: «Presum tibi tempore et auctoritate»; quod verum fuit, quod
precessit tempore quia antiquior estate, et auctoritate quia per papam fuit
spacialiter antelatus. Et hoc confirmatur ex Istoria Tripartita, ubi dicitur
quod Constantius imperator consilium cellebravit, et interfuerunt Pau-
linus Tybereos metropolitanus, et Dyonisius alterius metropolis Ytalo-
rum, et Eusebius episcopus Vercellensis. Ecce quam clare habetur quod
Eusebius erat episcopus et Dyonisius erat archiepiscopus.

10

15

20

157 - 13. Auxanus, recte Aussentius 20. Tybereos, recte Treverensis

Sed – heu! – tam nobilis civitas in duo castra redacta est, civitati Mediolanensi subdita tam in temporalibus quam in spiritualibus; nec potest dici civitas, quia secundum Ysidorum civitas est multitudo hominum societatis vinculo adunata.

158. DE CIVITATE NOVARIA, QUE PRIUS DICTA FUIT MONS ELITIUS
 Elitius, Veneris filius, post primam Troye destructionem inde cum Venere matre egressus, in Ytaliā venit et in monticulo non procul a Ticino flumine habitavit, ex cuius nomine monticulus dictus est Mons Elycis; quem quidam dicunt esse Novariam, quasi ‘nova ara’. Eius primus episcopus fuit beatus Gaudentius, quem beatus Simplicianus archiepiscopus Mediolanensis consecravit. Est ista civitas subiecta civitati Mediolanensi in temporalibus et spiritualibus.

Hec autem supradicte civitates, scilicet Cremona, Parma, Placentia, Brixia, Alba Pedemontis, Vercella et Novaria, condite sunt post civitatem Mediolanensem per annos V^CXXXVI vel circa hoc.

159. DE CIVITATE LUNO
 Lunus, alter princeps Troyanorum, in introytu Thuscie construxit civitatem quam ex suo nomine appellavit Lunam, et habet episcopatum divitem valde, eiusque ruine ostendunt ipsam fuisse nobilissimam. Habitatores eius naturaliter fuerunt pyrrate maris.

Fuit autem delecta, quia in illa civitate erat unus princeps iuvenis // (f. 228v) pulcerrimus, quem cum uxor imperatoris adamaret et civitatem Lunum pervenisset cum imperatore, finxit se esse subito mortuam. Imperator voluit experiri si esset vere mortua et fecit perforari pedes eius et manus: illa permansit insensibilis. Cum autem fuisse sepulta, de nocte ad domum principis deducta fuit. Post aliquod tempus imperator scivit ex stigmatibus manus imperatricem vivere et in ultionem civitatem Lunensem destruxit, nec umquam rehedicata fuit.

160. DE GEDEONE IUDICE IUDEORUM, QUI HABUIT LXX FILIOS
 Habraee sive etatis tertie anno VII^CXXXII, mundi anno II^MVII^C-XVIII, anno egressionis Israel de Egipto CCXXVII, post Mediolanum

anno VI^CXXXII, cum populus Iudeorum peccasset coram Domino, propter quod traditi sunt in manibus Madian annis VII, tunc enim Madianite rogaverunt Arabes et Amalechitas ut pugnarent contra Iudeos; quod et factum est. Unde dicit Iosephus quod Iudei in montibus fecerunt foveas ubi habitarent. Tunc Iudei clamaverunt ad Dominum, qui in visione apparuit Gedeoni filio Iasi, de tribu Manase, exortans eum ut ducatum populi susciperet. Quo renuente iterum apparuit ei Dominus dum furmenta purgaret pro ducatu suscipiendo; qui destruxit aram Baal, unde et Yerabaal est nominatus. Tunc accepit signum in vellere quod deberet hostes superare. Qui recolligens secundum Iosephum X^M virorum, solos illos <separavit> quos vidit aquas ut canes lambere lingua, qui fuerunt CCC tantum, abiectis ceteris formidosis; et sompnio revellato de cineritio pane illos CCC viros in tres partes divisit. Et habuerunt omnes in manibus suis lagenas, in quibus erant lampades accense, et in altera manu erant bucine vel secundum Iosephum cornua, quibus utebantur pro tubis. Et in prima noctis vigilia irruit super hostes, et dato signo conci cecinerunt tubis, et lagenas concutientes, inventis hostibus dormitare, interfecit quatuor reges, scilicet Oreb, Zeb, et Zebee et Salmana; duos alias reges, scilicet Zerbin et Zar, captivos abduxit. Et imperfecti sunt in utroque exercitu secundum Iosephum CXX^M, et habuit predam auri et argenti, vestium et camellorum et subiugalium multam nimis. Insuper destruxit habitatores Soboth et turrim Phanuel contrivit, quia panes sibi et suis in necessitate denegassent. Fecit similiter ephoth in qua fornicatus est Ysrael; et quievit terra annis XL, connumeratis annis servitutis.

Et genuit Gedeon, vir humilis et virtute summus, de diversis uxori- bus filios LXX, et de Droma concubina genuit filium qui dictus est Aby- melch, qui interfecit omnes fratres suos, excepto Iohathan, qui fugit. Ex tunc Abymelech spurius mortuo patre invasit principatum.

Eodem tempore, scilicet tempore iudicatus Iepthe, primo natus est Hercules Thebanus, anno nativitatis Habraee VII^CXXXIII.

161. DE CIVITATE SYDON

Eodem tempore secundum Sycardum civitas Tyrus constructa fuit in Syria a Sydoniis. Ubi est sciendum quod populi dicti Fenices habitaverunt primo super mare Rubrum. Et dicit Trochus quod ibi terremotu nimio vexati, iverunt versus mare, et primo habitaverunt stagnum Asyrium, ubi est maxima co- // (f. 229r) -pia pissum, et construxerunt civitatem quam dixerunt Sydon, quod interpretatur ‘copia pissum’; nam pissem Fenices vocant ‘sydon’. Et dicit Brochardus quod sita est sub monte Antilibano, et est terra delitiosa nimis habundans optimis vineis, canis melis et aere temperata. Fuit autem ista civitas tante magnitudinis quod nullus credere posset; qua destructa, condita est alias civitas eiusdem nominis, satis parva set fortissima. In hac venit Cananea ad Dominum Yhesum Christum pro filia sua demoniaca, ubi nunc est capella constructa.

162. DE CIVITATE TYRO

Fenices, constructa civitate Sydonia, inde procedentes in corde maris, super rupem durissimam construxerunt ciuitatem que dicitur Tyrus, quod interpretatur ‘nobilis purpura’. Fuit autem condita primo, secundum Brochardum, a Tyras filio Iapheth, et ex eius nomine dicta est Tyrus; sed Fenices postea eam rehedicaverunt anno uno ante destructionem Troye, ante Romam conditam CCCCXXVIII, ante Christi nativitatem MCLXXXII. Cum autem regnaret in ipsa Eleuseus rex et nolet obedire regi Asyriorum, destructa fuit; sed ipse Eleuseus eam post annos LXX, secundum Eseum, rehedicavit. In hac mulier vocem extulit, dicens: «Beatus venter qui te portavit!»; ubi Origenes quiescit, et est civitas metropolitana habens tres episcopos suffraganeos.

163. DE SCITHIA INFERIORE, QUE EST IN EUROPA, ET GOTHS; ET DUE SUNT SCITHIE

Eodem tempore gens Scitharum, dicti Gethe, nunc Gothi, fuit antiquissima gens Asie, qui descenderunt de Magog filio Iapheth, ut supradictum est libro secundo capitulo XVI. Contra istos Vesorges, rex Egip-

161 – 10. canis melis, *recte canne mellis iuxta Burchardum II 10*

ti, bellum primo movit; unde et ipsi Egiptum ingressi sunt. Et isti dicti sunt Scithe superiores. Est autem alia Scithia, dicta Scithia inferior, que est in Europa; et incipit a Meothidis palludibus, a Danubio et septentrionali Occeano, et extenditur usque ad Germaniam, et continet istas provintias, scilicet Allaniam, Gothiam, Datiam, Rethiam et Germaniam.

10

De Gothis sive Scithis vel Gethis sic loquitur Syngibertus, dicens: Gothi divisi duo regna instituerunt. Una pars dicta est Gothi Orientales sive Ostrogothi; alia dicta est Gothi Occidentales sive Visigothi. Alii sub ipsorum rege Berith, primo incoluerunt Scantiam, Scithie insulam, de qua dicitur in libro De proprietatibus rerum quod est in Anglia, cuius metropolis dicitur Camaria, et est posita iuxta oceanum Britanicum. Et est insula habens aerem optimum, portus nobiles et terram fructiferam. Hinc Gothi exierunt et insulas omnes occupaverunt; postea pervenerunt usque ad partes circa Danubium et optimuerunt Datiam. Unde dicit Ysidorus quod Daci sunt soboles Gotthorum; et est Datia provintia Europe, cuius populi sunt feroes nimis et bellicosi, et habent vultus pulcros, et capilos albos et personas decoras.

15

Isti Gothi transierunt Danubium tempore Detii imperatoris sub Guma rege suo, et superato exercitu Romanorum interfecerunt Detium imperatorem cum filio suo. Tempore Vallentis imperatoris isti Gothi divisi sunt et fecerunt duos duces, unus dictus Athalarichus, alter dictus est Frigiernus. Anno Vallentis XIII^o, anno Christi CCCLXXXVIII, gens Hynorum ferocissima Gothos superavit. Gothi isti, qui in terra sua sub dominio // (f. 229v) Hynorum remanserunt, dicti sunt Ostrogothi, id est Orientales Gothi; qui per Theodoricum Ostrogothum, auctoritate Zenonis imperatoris, Romam et Ytaliam optimuerunt. Illi Gothi qui sub dominio Hynorum stare noluerunt Yspaniam habitaverunt, et dicti sunt Visigothi.

20

25

30

164. DE AMORE BIBLES AD FRATREM SUUM

Tempore quoque Gedeonis, ut scribit Ieronimus, anno nativitatis Habraam VII^CL, ante Romam conditam CCCCL, ante Christi nativitatem MCC, Milletus, ex insula Creta in Asiam profectus, ibi civitatem

164 - 1. 164 *B^{p.c.}* : 163 *B^{a.c.}*; dehinc usque ad caput 174 capitum numeri unitatem deficiunt, quos manus altera correxit

condidit quam ex suo nomine Miletos nominavit. Hic Miletus ex filia Menandri genuit filium qui dictus est Caumus et filiam que dicta est Bibles, que fratrem suum turpi amore dillexit. Puer in furiam conversus fugit de patria; quem soror ubique insecuta fuit, et tandem in civitate Carina pre dolore in fonte se ipsam precipitavit. Hanc ystoriam Ovidius in Maiori loculenter conscripsit.

165. MERCURIUS INVENIT LYRAM

Eodem tempore secundum Sycardum Mercurius syringas invenit, hoc nomen trahens a Syringa, Cathmi uxore, que propter zellum Armonie a viro suo recessit. Invenit etiam hic Mercurius lyram hoc modo: vidit enim concham testudinis putrefactam, in cuius ore erant nervi arentes, qui impulsu aure sibillum fatiebant; ad cuius similitudinem lyram fecit quam Orpheo tradidit. Qui cum liram dulciter pulsaret, Euridicem nympham in sui amorem traxit et uxorem duxit; quam cum Aristeus pastor propter amorem insequeretur, a serpente interfecta est. Istius Orphei discipulus dictus Museus ait quod Orpheus apud inferos deus habitus, animas mortuorum sono lyre letificat. Et dicit Agustinus quod Orpheus inter theologos qui de diis carmina fecerunt precipue nobilitatus est. Et nota quod quatuor fuerunt Mercurii, ut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.

His quoque temporibus Linus magister Herculis claruit; et Minos rex Cretensis creditur leges dedisse Cretensibus.

166. DE ABYMALECH IUDICE IUDEORUM, ET DE ARBORIBUS QUI FECERUNT REGEM

Habraeli sive etatis tertie VII^CLXXII, mundi anno II^MVII^CXXII, anno egressionis de Egipto CCLXVII, ante Troye destructionem LXIII, ante Romam anno CCCCLVI, ante Christi nativitatem MCCXVI, mortuo Gedeone duce Iudeorum, peccaverunt Iudei coram Domino. Ideo tradidit Deus eos in hanc pestem, quia constituerunt sibi regem Abymelech, filium Gedeonis ex ancilla, qui interfecit LXX fratres suos legi optimos, excepto Iohathan, qui beneficio quodam die festo montem Gazirim ascendit, qui supereminet civitati Sychenorum. Et proposuit

165 - 2-3. syringas... Syringa : syngas... Stringa *B*

peragdima quomodo arbores, habito consilio, fecerunt ficum regem, postea vitem, deinde olivam, que aquiescere noluerunt; deinde fecerunt regem arborem rampni, que habet hanc proprietatem, quod ex eius soleis ignis oritur, et incendit arbores circumstantes. Talis est Abymelech et cetera.

Quo dicto, secundum Iosephum, in montibus latuit XXXIII mensibus, et regnavit Abymelech annis tribus. Postea ex- // (f. 23or) -pulsus fuit et latrocinia exercuit. Et venit ad opidum Thebes, in quo erat turris altissima; quam cum obsideret, mulier fragmentum mole desuper iaciens, fregit cerebrum eius; qui dixit armigero suo: «Percute me, ne dicar mortuus a femina».

15

20

167. DE FAUNO REGE YTALIE

Isto tempore in Ytalia in regno Laurentum regnabat Faunus regis Pyci filius, et regnavit annis XXX. Et dictus est Faunus quia fando sive loquendo futura predicebat. Eodemque nomine uxor eius dicta est Fana vel Fatetica eo quod fata sive futura predicebat. Mortua prima uxore duxit aliam que dicta est Carmentis, que genuit filiam que dicta est Carmentis Iunior. Et dicit Iustinus quod ista Carmentis Iunior commixta Herculi genuit filium qui dictus est rex Latinus.

5

Eodem tempore in Mediolano regnabat Mesenzius cum Lauso filio suo, qui dictus est rex Thuscorum, ut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Et nota quod fuerunt duo Mesenzii in Ytalia eodem tempore, scilicet Mesenzius supradictus, de quo dicit Eutropius quod interfectus est ab Enea, et alter fuit Mesenzius qui supervixit Enee, de quo dicit Tytuslivius qui confederatus est Aschanio regi, ut habitaret trans Tiberim.

10

15

168. DE INSTRUMENTO CHORO

Isto tempore secundum Sycardum Phylamon Delfius in Gretia inventit instrumentum quod dicitur chorus, et [habet] secundum Ysidorum est pellis habens duas buchas sive cycutas, per quarum unam inspiratur et per alteram sonus emittitur.

5

166 - 13. rampni : rapni *B* ~ eius : eis *B* 168 - 3. habet seclusi

10

Eodem tempore nobiles milites Thessalorum dicti Lapite contra Centauros pugnaverunt, et dicitur bellum Laphitarum. Tunc etiam temporis Egippus, filius Langi regis, monstrum quod spinga dicebatur (quod habuit fatiem hominis et quatuor pedes), soluta questione que velut insolubilis ab illo proponi solebat, suo precipitio perire compullit. De quo dicit Agustinus quod fuit fictio fabulosa.

5

169. DE THOLA IUDICE Iudeorum

Habrael sive etatis tertie anno VII^CLXXV, mundi II^MVII^CXLV, ab egressu Israel de Egipto CCLXX, post conditum Mediolanum VI^CLXXV, mortuo Abymelech, Tolla de tribu Ysachar, filius Phua patrui Abymelech, iudicavit Israel in Sanir annis XXIII. De isto Thola Iosephus nullam facit mentionem, sed Magister in ystoriis de isto Tholla loquitur: «Nec te moveat quod dicitur Phua et Ioas fratres esse, cum alter de Ysachar fuerit, alter de Manasse. Fuerunt enim filii unius matris et duorum partum, et de diversis tribubus».

170. ORIGO REGNI NICENARUM, ET QUOD HERCULES SUPERAVIT AMANZONES

5

Hoc tempore regnum Nicenarum exortum est. Ubi est sciendum quod Perseus patrem suum Acrisium regem Argivorum non sponte interfecit, sicque regnum Argivorum translatum est Nicenis. Et dicit Eusebus in cathologo regum Nicenarum quod Perseus ibi primo regnabit, deinde Stellenus, post eum Euristeus qui, fama et gloria regni Amazonum citatus, // (f. 230v) misit Herculem, qui ei XII debebat stipendia, ut – quasi impossibile – arma regine Amazonum illi afferret. Tunc Hercules cum XI navibus et cum magno exercitu Grecorum regnum Amazonum invasit. Tunc in illo regno in civitate Thamnis erant due sorores regine, scilicet Antiopen, que domi stabat, altera dicta est Oristia, que foris bella peragebat. Hercules vero, cum ad litus Amazonum naves aplicuisse, illas incautas et inhermes invenit, quas difficili prelio superavit. Fuerunt autem capte due sorores regine Antiopen; quarum prima dicta Menalippe, quam habuit Hercules, quam restituit sorori et pro pretio arma sua donavit Herculii; alia dicta est Ypolite, quam habuit

10

15

Theseus; et genuit ex ea filium, qui dictus est ex nomine matris Ypolitus, quem Phedera turpiter adamavit.

171. DE AGAMENONE REGE NICENARUM

Temporibus quoque Tholle, secundum Sycardum, apud Nicenas regnaverunt duo fratres, scilicet Atreus et Theistes; hos genuit Pelops rex Pelopensis. Tunc Thygestes adamavit uxorem fratri sui, et genuit filium qui dictus est Arpages; quo audito, rex Atreus puerum coxit, et dicit 5
Orosius quod coctum patri suo in esum dedit. Post istos duos fratres Agamenon genere Grecus regnavit Nicenis annis XXXV. Quod autem fuerit rex potentissimus patet quod contra Troyam duxit C naves, quod nullus alias facere potuit; et fuit princeps et dux super reges et principes qui in illa obsidione fuerunt. Uxor regis Agamenonis dicta est Clitemestra, que genuit filium qui dictus est Orestes; qui duxit in uxorem Hermione, filiam Menelai et Helene, ut infra dicetur. Isto tempore fuit bellum Argonitarum, inter quos fuerunt Hercules, Asclepius, Castor et Polux.

172. DE THESEO ET MEDEA

Isto tempore secundum Sycardum apud Athenas regnabat Egeus filius Pandionis regis Atheniensis, qui cepit regnare <anno> ante Christi nativitatem MCCLXXXIIII. Hic Egeus secundum Iustinum genuit filium qui dictus est Theseus, qui minotaurum occidit; cuius frater dictus est Fochas, unde et Focenses populi. Hunc Theseus interfecit. Nato Theseo, pater eius duxit uxorem Medeam, filiam Oete regis Colchorum, de qua genuit duos filios: Medeum et Egeum. Et fugiens Thesei privigni insidias, cum filiis Colcos ivit; quam postea Iason rapuit.

173. DE IAYR IUDICE IUDEORUM

Habraee sive etatis tertie anno VII^CLXXXXVIII, mundi anno II^M-VII^CLXVII, anno egressionis Israel de Egipto CCLXXXIII, post conditam civitatem Mediolani anno VI^CLXXXX, post Thollam Iayr Gallatites de tribu Manasse iudicavit Israel annis XX. Hic habuit XXX fi-

10

5

5

lios, sedentes super XXX pullos asinarum, set Iosephus dicit quod fuerunt viri in equitatu preclarissimi, quos pater fecit principes super XXX civitates Galladinorum. Qui moriens in civitate Chamon in terra Galadinorum sepultus est.

174. THESEUS CONDIDIT ATHENAS ET RAPUIT HELENAM

Isto tempore, secundum Sycardum, Theseus filius Egei regis Athenarum claruit. Qui cepit regnare anno // (f. 231r) nativitatis Habraee sive etatis tertie VII^CLXXXVII, ante Urbem conditam secundum Augustinum IIII^C, ante Christi nativitatem MCLV. Hic Athenienses, per diversas partes habitantes in distantia plurium leucarum, in unam civitatem congregavit. Et anno tertio regni sui, secundum Eusebium, rapuit Helenam, quam ducens in Egiptum, ipsam Protheo commendavit. Qui peregre profectus, Castor et Polux fratres Helene similiter rapuerunt matrem Thesei reginam Atheniensem, que dicta est Ethra filia Phebi; quo audito Theseus precepit quod Helena restituatur fratribus suis. Et secundum hoc Helena fuit rapta existens virgo anno nativitatis Habraee VIII^C.

Et anno eodem Habraee VIII^CXVIII, sicut habetur in libro de principibus et philosophis illustribus, Hercules in monte Oeta se ipsum in ignem precipitavit, anno etatis sue LII. Ergo fuit natus anno nativitatis Habraee VII^CLXVII. Ergo quocienscumque dicitur Hercules fecit hoc vel hoc, et talis actus non erit inter duos supradictos numeros – inter VII^CLXVII et inter VIII^CXVIII –, ille actus non poterit convenire Herculi Thebano maiori. Cum ergo habeatur in ipso libro de principibus et viris illustribus quod Hercules, secundum Ieronimum et Eusebium, interfecit ydram anno nativitatis Habraee VII^CLX, ergo antequam Hercules Thebanus nasceretur per annos VII ydria mortua fuit. Ipse occidit Antheum in Libia anno nativitatis Habraee VIII^CX, et anno nativitatis Habraee VIII^C Olimpiacum certamen instituit, que omnia esse potuerunt. Cum ergo prima destructio Troye facta tempore Laomedontis regis Troyanorum, facta fuerit anno nativitatis Habraee VII^CL, sequitur quod Hercules Thebanus nundum natus erat per annos XVII. Cum ergo Troya

fuerit destructa anno Habraee VIII^CXXX, sequitur quod Hercules mortuus erat per annos VIII^I antequam Troya destrueretur. De isto Hercule Thebano natus est Latinus rex Ytalie anno nativitatis Habraee <<...>>. De isto Hercule habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>. Anno nativitatis Habraee V^CXLVI, Hercules interfecit Busiridem.

30

175. THESEUS SUPERAVIT AMANZONES; ET DE CIVITATE THEBANA VEL STIVES

Deinde Theseus regnum Amanzonum invasit, ut supra dictum est, et Ypolitem reginam rapuit; et revertens Athenas in curru aureo, quem trahabant quatuor equi albi infrenati auro, lauro currui supereminente, erat secum regina Ypolite et multi Amanzonum currus virginei, et ymago dei Martis, et cristati equi, et scuta retonda, et fracte bibenes, et cyngula auro micantia.

5

Occurrit regina Argivorum, dicta Euathene, rogans pro sepultura Capanei regis Argivorum viri sui, et aliorum Argivorum qui interfecti fuerant in bello Thebano. Et ait ad Theseum: «O belliger Egei regis filii, Theseu, tu Cretenses a minotauro liberasti, et a metu crudelissimi Caradonii apud Elladas patriam salvasti; Calem hospitam a latronibus habitantibus in via te deprecantem exaudisti; Tanaym civitatem, ubi erant Amanzones, fumare corpora ipsarum non negasti; Scyrona sevum a sepultura non prohybuisti. Tu ergo Argivos sepeliri iube amicos tuos, quod inimicis condonasti». Hiis auditis, Theseus misit ad Crontonem, regem Thebarum, ut sineret sepeliri Argivos vel se prepararet ad bel- // (f. 231v) -lum; quo renuente, Theseus civitatem Thebanam invasit, et Crentonem regem singulari duello interfecit.

10

15

20

Civitatem Thebanam, secundum Valerium, evertit; que postea restaurata dicta est Stives, ubi habitant fere M viri, que condam habuit ultra XXX^M. Item Theseus condidit civitatem in Asia, in ripa fluminis Ermi, in cuius arenis aurum optimum generatur, et ex fluvii nomine Smirnam nominavit; que fuit patria Omeri poete, qui claruit tempore Agrippe Silvii, qui fuit filius Tyberim regis Albe. In quibusdam cronicis legitur quod Amanzones construxerunt civitatem Smirnam tempore Carpentis Silvii,

25

175 - 7. bibenes, *recte bipennes* 16. prohybuisti : prohybiisti *B* 18. sineret : scineret *B*

regis Albanorum; et forte rehedificaverunt, vel forte est alia. De Smirna civitate habetur in Apocalipsi: «Dicit angelo Smirne» et cetera.

176. GENERATIO THESEI

Theseus, domum reversus, Ypolitam reginam Amanzonus in uxorem duxit, de qua genuit Ypolitum. Deinde duxit uxorem Phederam, filiam Minonis regis Cretensis, ex Pasife filia Solis natam; que Ypolitum pri-vignum suum nefando dillexit amore, sicut scribit Ovidius Epistolarum.

Genus Thesei sic habetur, quia Vulcanus et Minerva genererunt Erictonium regem Atheniensem, qui primus quatuor equos, secundum Pa-piam, sub uno curru iunxit; unde dicit Virgilius:

Primus Erictonius currus et quatuor ausus
iungere equos, rapidisque rotis insistere vitor.

Erictonius genuit Pandion regem Atheniensem, qui genuit Ericteum et duas filias, scilicet Porgen et Phylomenam. Porgen dedit uxorem regi Trachie qui dictus est Thereus, filius Martis; que genuit filium qui dictus est Ythis. Ericteus filius Pandion genuit filium qui dictus est Cecrops et filiam que dicta est Orinthia, quam Borreas sive Aquillo rex Trachie ipsam rapuit. Postea regnavit Pandion filius Cecrops, qui genuit Egeum regem Atheniensem, qui genuit de Ethra, filia Febi, Theseum, et de Medea nigromantica genuit Egeum et Medeum. Theseus genuit de Ypolite regina Ypolitum, et de Phedera genuit duos filios, scilicet Demophon et Amphiacrum, et Damitum, qui genuit Butem, qui genuit Erigenem regem Sicilie. Post Theseus regnavit Demophon, ubi deficit genus Thesei.

[Figura 32]

// (f. 232r) 177. DUO PRINCIPES AMANZONUM

Isto tempore de regno Scitharum expulsi sunt duo iuvenes regii, sci-liset Plinos et Scolopetius; qui cum dolo fuissent interficti, eorum uxores dicte sunt Amanzones, de quibus supra dictum est libro secundo

176 - 19. duos, *sic B* 20. qui¹ : que *B*

capitulo <<...>>. Menelaus regnabat in Lacedemone; hanc civitatem condidit Lacedemon, filius Semele, sicut supra dictum est. Hanc Sparta filius Foronei inhabitans, ex suo nomine vocavit Spartanam, que nunc dicit Davolia, sola antiquitate famosa.

5

178. DE AGONE OLYMPIACO

Tempore similiter Yayr, anno nativitatis Habraee sive etatis tertie secundum Ieronimum anno CCCCXXX, Hercules in honorem Pelopis, atavi sui materni, instituit olympiacum agonem sive certamen. Deinde in Yspania ad Agades insulas columpnas erexit quasi proxime orbis.

5

179. DE CARTHAGINE; ET QUOD FUERUNT QUINQUE CARTHAGINES

Isto tempore, secundum Sycardum et Magistrum, Phylistum, Mile-tum et Eusebium, de civitate Tyro tempore Yair iudicis Israel, duo cives de Tyro, scilicet Zoro et Carthago, exeuntes construxerunt civitatem quam Carthago ex suo nomine nominavit Carthaginem. Ubi est secundum quod fuerunt quinque civitates quarum quelibet dicta fuit Carthago. Prima dicta est Carthago Penica, et ista fuit magis famosa. Secunda dicta est Carthago Spartaria quam Peni secundum Ysidorum construxerunt. Tertia dicta est Carthago Cyri, quam Cyrus rex <construxit> anno ante conditam urbem LXXII secundum Trochum, Papiam, Ricardum et Servium. Quarta fuit in Yspania, ut dicit Ymago mundi. Quintam construxerunt Romani, que adhuc estat. Prima omnium est illa de qua dictum est primo loco, quam condidit Carthago Tyrius. Et de ista dicit Solinus quod Adrumeto et Carthagini auctor fuit a Tyro populus anno nativitatis Habraee VIII^C, anno ante Romam IIII^C. Cato in oratione senatoria sic ait: «In Libia cum rex Iapon regno potiretur, quedam mulier dicta Elysa extruxit Daphenix et Carthagam dixit, que sermone punico dicitur ‘civitas nova’», que postea corrupto vocabulo dicta est Carthago, que similiter dicitur Elysa et Alachatas, que post annos VII^C delecta fuit, Egrimade Agrato colonis Ytalicis data. Hec Solinus, et concordat Ysidorus. Elysa idem est quod Dido; sed Elysa est proprium nomen,

5

10

15

20

179 - 9. construxi supplevi 17. Daphenix, recte domo Phoenix (*iuxta Solinum*)
20. Egrimade Agrato, recte deinde a C. Gracco (*iuxta Solinum*)

Dido idem est quod virago. Iosephus, loquens contra Apionem, sic dicit: in Tyro regnavit Yran, amicus Salomonis, qui regnavit annis VIII, cui successit Pygamalyon, qui regnavit annis XL. Cuius regni anno VII^o
 25 Dido soror eius in Lybia condidit civitatem quam Carchedonam sive Carthadam nominavit.

180. DIDO REGINA CASTISSIMA FUIT, NEC UMQAM ALIQUO TEMPORE
 VIDIT ENEAM

Hic est advertendum quod Ysidorus dicit quod populi dicti Phenices, a mari Rubro surgentes, in Africam profecti sunt et in maris ora civitatem condiderunt que dicta est Utica. Et Papias dicit quod construerunt opidum quod dicitur Gades. Item Ysidorus dicit que condiderunt Sydonem et Tyrum et Ypone civitatem, que prius dicta fuit Horon, ubi natus est Agustinus et fuit ibidem episcopus. Item // (f. 232v) condiderunt secundum Papiam in Affrica, in provintia Tripolitana, opidum quod dicitur Leptis. Cum rex Tyrii dictus Bellus haberet filium qui dictus est Pygmalion et filiam que dicta est Elysa sive Dido, et vide-ret se morti propinquum, filium et filiam virginem Didonem regni Tyriorum heredes relinquid; sed populus regnum tradidit Pygmalioni, pueru XVI annorum, et regnavit annis XL. Erat tunc temporis in Tyro quidam sacerdos Herculis, qui erat honor secundus a rege. Et iste fuit frater matris Didonis sive avunculus, vir ditissimus, qui dictus est Acerba secundum Trochum, sed Papias nominavit eum Sycheum. Huic Dido data fuit uxor. Hunc virum Didonis Pygmalion rex interfecit; propter quod ipsa cum thesauris viri sui fugit et pervenit ad insulam Cipri, ubi LXXX virgines rapuit. Et tandem attigit Affricam et in quodam sinu maris habitavit. Et ab incollis emit magno pretio terram quantum corium bovis posset circundare; tunc corium bovis scindit in tenuissimas partes et sic maius spatium terre quam petierat occupavit; et vocavit nomen loci Byrsa, quod interpretatur ‘corium’. Ubi cum vellet civitatem condere, in fundamento inventum fuit capud bubale, quod est animal servile, quod non fuit bonum agurium. Postea in alio loco fundamenta iecit, et inventum est equi capud, quod est animal belligerum et victoriōsum; et ibi condita est civitas que dicta est Carthago, quod interpre-

tatur ‘nova civitas’. Et dicit Orosius quod est cincta mari, exceptis fauibus que III^M passibus aperiebantur; in quibus locis fuit murus grossus XXX pedes ex saxis quadratis et altitudo habuit XL cubitos. Civitas in circuitu habuit XXXII^M passuum; arx civitatis dicta Byrsa habuit in altum II^M passuum.

30

[Figura 33]

181. DE CASTITATE DIDONIS ET MORTE

Isto tempore Iarbas, rex Musitanorum, Didonem petiit in uxorem, que, cum cogeretur per Africanos, pillam altam concendit et exclamans acerbe virum suum defunctum, ait: «Ego ad inferos cum viro meo vado». Et evaginato gladio se ipsam interfecit. Unde dicit Ieronimus contra Iovinianum: «Dido maluit ardere quam nubere». Et Agustinus in tertio libro Confessionum dicit quod docti dicunt quod Eneas numquam ivit in Carthaginem. Elymandus ex dictis Trochi sive Iustini sic dicit: Sibyla appellat Omerum men- // (f. 233r) -dacem necnon Virgilium et Ovidium eius sequaces, quos locutos constant ut Octaviano Agusto placeret. Quibus mos est non sequi ystorias, sed potius legem artis poetice imitari. Credunt enim poete, ymo asserunt, Eneam Troyanum Didonem vidisse eamque impudico amore dillexisse, cum ex dictis Agustini et Ieronimi, Trochi et Iustini constet quod Eneas numquam vidit nec Cartaginem nec Didonem. Unde bene dicitur:

5

10

15

Nam miranda canunt, sed non credenda poete.

De Didone dicit Ieronimus contra Iovinianum: «Casta mulier Dido Carthaginem condidit et rursus propter castitatem vitam finivit». Et quamdiu Carthago fuit, Dido pro dea culta fuit.

182. DE IEpte IUDICE Iudeorum

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXX, mundi anno MMVII^C-LXXIII, ab egressu de Egipto anno CCCXV, post conditum Mediola-

180 - 29-30. faucibus : facibus *B* 31. cubitos (*iuxta Orosium*) : pedes cubitos *B*
181 - 4. acerbe : acerbam *B* 11. mos : mox *B* 17. Iovinianum : Novinianum *B*

5 num anno VII^CXX, Iepte Galatites, filius meretricis, iudicavit Israel annis VII. Et dicit Iosephus quod Iudei contra Dei leges insurrexerant; ideo Deus tradidit eos in manibus Amon sive Amonitarum et Palestinorum, qui ipsos affligerunt annis XVIII. Tunc clamaverunt ad Dominum qui misit eis Iepthe, virum fortissimum, quem fratres eius eiecerant de domo patris eius eo quod esset spurius, et habitabat in Tob; quem latrones ut principem sequebantur. Hic in urbe Masphath congregavit exercitum et pugnavit contra hostes, et interfecit ex eis fere XLII^M. Et rediens cum victoria vovit Deo ymolare quicquid sibi primo occurreret. Et occurrit filia eius, quam ymolare volens, ipsa petuit ut per duos menses suam possit plangere virginitatem sive iuventutem. Postea ipsam ymolavit, quam plangentes virgines Israelite annis singulis <conveniunt>. Et atheos autem seditionem patientes ad vada Iordanis invasit et interfecit spacialiter qui pro ‘seboleth’ ‘theboleth’ pronuntiabant, spicam exprimere non valentes.

183. AGAMENON ET MENELAUS FUERUNT YTALICI
 Isto tempore Agamenon regnabat in regno Nicenarum et Menelaus regnabat in civitate Lacedemona; qui fuit vir Helene. Qui de Lacedemona egressus intravit Ytalam, que tunc secundum Ieronimum Magna Grecia dicebatur, et optimuit insulam Sicilie et regnavit in civitate Palermo. Unde dicit Gothofredus Viterbiensis: «Rex Grecorum Menelaus, vir Helene, in Sicilia». Horum fratum generatio habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>. De ipsis duobus fratribus, scilicet Menelao et Agamenone, generatio non clare invenitur. Legitur enim quod Hellena dixit ad Priamum regem Troye quod ipsa erat propinqua eius et quod sua generatio magis pertinebat ad Troyanos quam ad Phylisteris filios. Item tres filii Ayacis Thelamoni in obsidione Troye dixerunt ad Agamenonem et Menelaum quod erant ignobiles et filii Filestenis. Quis autem fuerit iste Filestenus, dixerunt quidam quod fuit plebeius qui invasit insulam Sicilie tempore Saturni regis, et moriens insulam duobus filiis suis divisit. Agamenon optimuit partem et Menelaus civitatem de Palerno. Unde

182 - 13. duos menses : duos menses duos *B* 14. virginitatem : viginitatem *B*
 15. convenienti *supplevi* (*iuxta Iud. 11, 40*) ~ Ethateos, recte Ephrateos 183 - 12.
 dixerunt : dixerut *B*

Gothofredus Viterbiensis appellat Menelaum ‘Siculum’. Postea optinuerunt // (f. 233v) unus civitatem Nicenarum, alter civitatem Lacedemonam.

[Figura 34]

184. QUID SIT GRETIA MAIOR SIVE YTALIA

Antequam ad Troye ystorias accedamus quam Greci destruxerunt, sciendum est quod duplex est Gretia, scilicet Gretia Maior, que est Ytalia. Unde dicit Ieronimus ad Paulinum: «Tarchita princeps Tarentinus ora Ytalie difficiliter peragravit, que condam Magna Gretia dicebatur». Et dicit Solinus libro tertio quod in Ytalia sunt XII provintie famose et potentissime, exceptis insulis. Ex Istoria Lombarda habetur quod in Ytalia sunt XVIII provintie, exceptis insulis, scilicet provintia Venetiarum cuius capud est Aquilegia, et provintia Lyguria cuius capud est Mediolanum, et provintia Rethia Prima in qua est Coria et Rethia Secunda in qua habitant Agresti; item provintia Alpiscotia ubi est Ianua, et Thuscia in qua est Roma, et Campania in qua est Neapolis, et Lucania in qua est Pestus sive Pistorium, et Apenina in qua est Bobium et Verona, et Emilia in qua est Bononia et Placentia, et Flaminea in qua est Ravena, et Pycenus in qua est Asculus et Adria, et Saprenum in qua est Beneventus, et Apulia in qua est Brunduxium. Item tres insule, scilicet Sicilia que et Trinacria, et Corsica et Sardinia. Ista est illa Magna Gretia in Europa posita que Troyam destruxit: unde dicit Omerus quod Gretia que Troyam destruxit non est Danaa sed Ytaliam, que iam dicta fuit Gretia Maior, quod confirmat Gothofredus Viterbiensis his versibus:

Gretia Troyanos que tunc superasse putatur
Non erat ex Danays; gens Ytala namque probatur:
nobilis Ytalia Gretia Maior erat.
Iuditio veri si querimus ista fateri,
inclita longevi rescripta legantur Omeri:
Italia namque tellus Gretia Maior erat.

184 - 4. Tarchita, *recte* Archita 7. potentissime : potentissime et famose *B* 11.
Agresti : Agresti et Rethia *B* ~ item : item in *B* 19. que iam : quedam *B*

Hoc etiam confirmatur per dicta Hectoris, qui dixit ad Priamum patrem suum, ut habetur ex Ystoria Troyana: «O pater, voluntatem tuam perficere paratus sum, sed veri ne illud perfici possit ut Grecos vincamus quia multos adiutores Gretie futuri sunt. Et Europa bellicosos habet viros; Asia vero semper otio contabuit et idcirco naves non habet». Sed Gretia Maior est in Europa, et non alia Gretia, imo Gretia Danaa est in Asya. Ergo Hector, qui de Grecis volentibus Troyani destruere, intellexit de Gretia que est in Ytalia, in partibus Europe. Ad idem secundum Ovidium Epistolarum, qui introducit verba Paridis loquentis ad Hellenam sic ait:

Aut ego sydeos repetam te coniuge portus [Helena fuit rapta]
Aut in Trinacia contegar exul humo. [in Ytalia]

// (f. 234r) Sed Trinacia idem est quod Sicilia: ergo Helena erat in Sicilia quando fuit rapta. Item secundum Eutropium Dyomedes, qui erat rex in Ytalia sive in Appulia ubi est Beneventus, dixit quod ipse interfuit obsidioni Troye. Item Hercules, qui secundum Ysidorum in provintia Campanie ubi est Neapolis civitas construxit civitatem et Pompeiam appellavit, quia victor ex Ispania pompam bovum adbuxerat, et iste interfuit obsidioni Troye. Ex quibus omnibus apparet quod Ytali Troyam destruxerunt. Item Iason, qui Troye primum bellum intulit, regnabat in Sicilia insula. Unde Gothofredus Viterbiensis sic dicit:

Laomedon tulit aureum vellus,
invidia Siculus Iason ademit eum.
Nunc Agamenoni fuit Gretia subdita soli.
Atrius hunc genuit, quem regem diximus olim.
Tollit apud Siculos undique iura soli (id est terre).

Ex his verbis apparet quod Iason fuit de Sicilia et quod Agamenon frater Menelai fuit dominus in insula Sicilie. Cum ergo denominatio

31. idcirco : illud circo *B* 37–38. Helena fuit rapta in Ytalia *glossema in rubro scriptum in B*

cuiuscumque victorie sive belli fiat a principaliori principe illius exercitus, et in bello de Argonautis, qui Troyam prima vice destruxerunt fuerunt Hercules rex Campanie et Iason rex Sicilie qui fuerunt Ytalici, potest dici quod Ytalici prima vice destruxerunt Troyam. Et quia in secunda destructione principaliores principes fuerunt Menelaus, rex Lacedemonum et in Palerno civitate Ytalicie, et Agamenon rex Nicenarum et Sicilie, possumus dicere quod secundam destructionem Troye fecerunt Italici et Greci, et sic solvitur omnis dubitatio.

55

60

185. GENERATIO HELENE ET QUOMODO IUPITER EAM GENUIT; ET DE VITA HELLENE

Et quia dictum est de Menelao, nunc dicamus de Helena uxore eius, propter quod Troya fuit destructa. Ubi est sciendum quod Tyndarides rex in insula Cytheria, una ex Cycladibus, duxit uxorem Ledeam filiam Fenice, filiam Agenoris. Hanc Ledeam quidam dicitur fuisse sororem Heucube uxoris Priami. Hanc reginam Ledeam se lavantem in flumine Iupiter adamavit. Tunc Iupiter se ipsum in spetiem cigni transformavit et natans per flumen quasi querens escam; Ledea post ipsum cucurrit, tunc Iupiter ipsam opresit. Et genuit uno partu duos filios, scilicet Castorem et Polucem, et duas filias, scilicet Hellenam et Climestram, que nupte fuerunt duobus fratribus: quia Helena tradita fuit Menelao regi et Climestra data fuit Agamenoni regi. Helena fuit rapta in Insula Cytheria prima vice per Theseum. Hos Ledee filios poete dixerunt esse immortales, quia certum est quod Castor et Polux fuerunt de argonautis qui dimicaverunt in bello Thebano; et Helena fuit eiusdem etatis cum 5 10 15 20 25 ipsis. Ipsam similiter rapuit Theseus rex Atheniensis et recommendavit eam in Egipto Protheo; postea fuit nupta Menelao, de quo concepit Hermione, que iam erat magna quando Paris rapuit Helenam; postea fuit in Troya fere XX annis; deinde redditum fuit Menelao et vixit longo tempore. Ex quo patet secundum poetas quod fuit immortalis, aliter per tot secula vivere non potuisset. // (f. 234v) Genus autem Helene habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>.

[Figura 35]

61. possumus : possimus *B* 185 - 20. redditum : redita *B*

186. DE INFANTIA ACHILIS REGIS THESALIE

Tempore quoque Iepthe Paris rapuit Helenam, licet Ysidorus dicat quod rapta fuerit tempore Abesan. Hic, antequam de isto bello Troyano aliquid dicatur, dicendum evenit de infantia Achilis et morte, que fuit ante Troye destructionem. Ubi est sciendum, secundum quod dicit Statius Tholensis, quod Chyron, unus ex centauris, genuit filiam que dicta est Thedis Iunior. Hanc duxit uxorem Pelleus rex Thesalie, filius Cachi; et genuit Peleus rex ex Tetide filium qui dictus est Achilles, de quo vates prophetaverunt quod erat superaturus Troyam et ibidem moriturus; que peperit in civitate que dicitur Hemonia. Mater Achillis tradidit eum nutriendum Chyroni centauro patri suo qui habitabat in monte Pellion, qui iam erat senex et semper vixerat de venationibus leonum et ferarum, et fuit herbarum peritissimus medicus et lire propulsator egregius; que omnia Achilli demonstravit. Factus Achilles annorum XII cervos cursu vincebat et centhaures, qui dicti sunt populi Lapidaunii, et insuper Chyronis sagitas cursu velocissimo Achilles antecipiebat. Similiter super glaties tenues discurrebat et tanta erat plantarum levitas quod ipsas non frangebat. Non iam fugaces damulas ac timidos cervos insequebatur, sed ad tristes ursas et sevas sues aut maximas tigrides aut crudelissimos leones insequebatur. Leonum viscera extrahebat, fuitque ei panis medula leonum. His auditis mater, de Troyano bello timens, quod iam fremebat, filium de domo Chyronis abstulit et ad insulam Schyriam deduxit oculatum. [Alibi dicitur quod Lycaon fuit rex Cipri, ubi Pirrus filius Achillis nutritus fuit]. Ibi erat rex Lycomedes, cuius filia nomine Diadamia virgo pulcerrima fuit. Hec cum aliis virginibus in luco Bachi cophynos florum offerebant. Achilles captus amore Dyadamie suasu matris habitum mulierem induit: vestis eius fuit auro intesta que usque ad pedes protendebat, crines plexuit, monilia matris capiti suo imposuit. Hic accepta oportunitate Dyademiam opresit, que peperit filium qui dictus est Pirrus; tandem ipsam desponsavit. Tunc Greci Achillem ubique querebant; et vates Grecorum ait: «In veste muliebri in insula Schyria latet». Quo audito Ulixes et Dyomedes ipsum invenerunt et cognoverunt eum, tum

186 - 4. que : qui *B* 17. tenues : tenuas *B* 23-24. alibi... fuit *glossema in textu interiectum* 28. plexuit, recte pexuit

quia statura omnem hominem superabat, tum quia, cum alie virgines
ornamenta mulierum in templo aspicerent, hic arma et scuta per-
tractabat. Ex tunc habitum muliebrem depositum ad Troyanum bellum
properavit. Quid autem ibidem fecerit statim dicetur.

35

Legitur enim in quibusdam cronicis // (f. 235r) et ystoriis quod
Achilles fuit princeps Apruzii in Ytalia. Et bene potest stare: videmus
reges in uno regno esse principes aut marchiones aut comites in aliqua
alia civitate vel comitatu. Thetidis regina Thesalie nata fuit in Ytalia in
provintia Apruzii, ubi condidit civitatem quam ex suo nomine vocavit
Thetim, que nunc dicitur Theate, ubi est adhuc locus ubi nutritus fuit
Achiles. Inde in quibusdam cronicis habetur quod Achilles fuit princeps
Apruzii.

40

187. DE ABESAN IUDICE Iudeorum, qui habuit LXXX filios et filias

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXXIII, mundi anno II^MVII^C-
LXXX, anno egressionis Egipti CCCXXXI, post conditum Mediola-
num VII^CXXIII, Abesan sive Esebon, quem Iosephus nominat Absanis,
iudicavit Israel annis VII, vir de civitate Bethleem, de tribu Iuda; et
habuit XXX filios et XXX filias. Iosephus dicit quod habuit LXXX filios
et LXXX filias, et dedit filiis omnibus uxores et filiabus maritos,
et moriens dimisit eos omnes vivos. Isto tempore secundum Ysidorum
Paris, qui et Alexander, rapuit Hellenam. De isto raptu et quare fuit rap-
ta et quomodo fuit Troyam aducta, habetur supra valde diffuse eodem
libro capitulo <<...>>.

5

10

188. DE HAYLON IUDICE Iudeorum; et exordium belli Troyani

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXXXIII, mundi anno II^MVII^C-
LXXX, egressionis de Egipto anno CCCXXVIII, post conditum
Mediolanum anno VII^CXXXIII, Haylon Zabolentes iudicavit Israel
annis X. De isto dicit Iosephus: Absano, qui et Abesan nichil egit virtu-
te precipuum. Isto tempore bellum Troyanum incipit, et Menon Aman-
zonites tullere prescidia. De isto bello quia totus mondus loquitur et nos

5

43. inde : imde *B*

similiter hanc istoriam ponemus, secundum quod eam scripsit Dares Frigius et Ditis Cretensis, qui bello Troyano interfuerunt. Verba autem Omeri, Virgilii, Ovidii in his que tangunt ystorias omnino sunt responda, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.

189. APPARATUS GRECORUM CONTRA TROYAM

Rapta Hellenae Greci apparatus belli perfecerunt, secundum Dytem annis X, et pugnatum est ad Troyam annis X, mensibus VIII et diebus XII. Ex hoc apparet quod Helena fuit cum Paride Alexandro annis XXI fere; currebat autem tempore destructionis Troye annus nativitatis Habraee sive etatis tertie VIII^CXXX: ergo fuit rapta anno nativitatis Habraee VIII^CVIII. Et Troya cepit obsideri anno nativitatis Habrae VIII^CXVIII. Greci obsidentes Troyam in suo exercitu habuerunt reges seu principes numero XLVIII et naves MCCLXXXVII. Ex Grecis imperfecti sunt, ut dicit Dares Frigius, VIII^CLXXX^M virorum pugnatorum. Ex Trojanis ruerunt VIII^CLV^M virorum, inter quos fuerunt XXI ex filiis Priami. Ipse quoque Priamus mortuus fuit.

190. NOMINA PRINCIPUM GRECORUM; ET PRIMO DE AGAMENONE ET PHYLOSOMIA EIUS

Post raptum Hellene per X annos duravit apparatus belli Grecorum, et fuerunt ut dictum est cum eis XLVIII principes. Primus // (f. 235v) princeps dictus Agamenon rex Nicenarum et frater Menelai: vir altus statura et albus quasi nix, prudens, facundus et in armis strenuus et ditissimus, qui duxit CXL naves, quod nullus alias potuit facere. Hic fuit caput et imperator totius exercitus Grecorum. Eius uxor dicta est Climestra, soror Helene. Hic licet Troyam superaverit, tamen per Climestram uxorem suam imperfectus est. Que genuit fiam que dicta est Ypigenia, que fuit desponsata Achilli; item genuit filium qui dictus est Orestes, qui duxit in uxorem Hermione filiam Helene et Menelai, quam postea subripuit Pirrus filius Achillis.

DE MENELAO ET EIUS PHYLOSOMIA; ET HELENA

Secundus princeps dictus est Menelaus, rex Lacedemoniorum et insule Sicilie et frater Agamenonis supradicti. Et fuit Menelaus vir pulcer valde, rubeus fatie et valde gratiosus et in armis acerrimus, et habuit naves LX. Eius uxor fuit Helena, mulier pulcrior mundi, <os> habens parvum et notam inter duo supercilia. Oculi eius fuerunt grandes et albi, capilli flavi quasi aurum et crisi, corpore delicato et optime figura. Et genuit ex Menelao filiam que dicta est Hermione, quam duxit in uxorem Pirrus filius Achillis.

Tertius princeps dictus est Ayas Thelamonus princeps Salamine. Vir fortissimus, atrox in hostes, simplex animo, habens capillos nigros et crisi, primus omnium virtutis nomine et fortitudinis. Et fuit cum eo Tyucer frater eius, et habuit XL naves. Hic Ayas fuit filius Hesionis sororis Priami, sicut supra dictum est eodem libro capitulo CXXXIIII.

Quartus princeps dictus est Ayas Locrus, rex in civitate Locrus. Vir membris quadratus, aquilino naso, iracondus, fortis. Et fuit cum eo frater eius Balabutio et Amachim et Dorus et Theseus et Polixena, et habuit naves X.

Quintus dictus est Ayas Oyleus, princeps Salamine urbis. Vir magnus statura, acer in armis, crudelis in hostes, habens capillos nigros et crisi. Et habuit naves XII. Hic post Troye destructionem duxit in uxorem Cassandram filiam Priami.

Sextus fuit Achilles, rex Thesalie, filius Pellei regis et Thedis Iunioris. Vir altus statura super alios homines, fortior princeps mundi, vultu allacris, pectorosus, largus, ore venusto, in armis acerrimus. Eius uxor dicta est Dyanira, que genuit filium qui dictus est Pirrus.

Septimus dictus est Patroclus. Vir pulcer, oculos lentiginosos, iracondus, fortissimus, prudens et audax. Hic venit cum Achille quasi custos aut rector eius. Et habuerunt ambo, scilicet Achilles et Patroclus, naves L cum Mirmidonibus et Pellagis, id est Thesalicis.

Octavus princeps dictus est Ulixes, rex Itacha. Vir pulcer et firmus, ylaris, prudens, dolosus et elloquens ore yllari. Eius uxor dicta est Pene-

14. de Menelao... Helena : *verba scripta rubro atramento quasi capit is titulum, numerus tamen deficit* 18. os supplevi iuxta Daretem cap. 12 20. delicato : dedicato B

lope, que genuit filium qui dictus est Thelamacus. Et // (*f. 236r*) habuit Ulixes naves XII, sed Dares Frigius dicit quod fuerunt XL.

Nonus princeps fuit Dyomedes Eurialus. Vir fortis habens vultum austерum, audax, inpatiens, in bello acerrimus. Et fuit cum eo Stellenus ex Argis, et habuit naves LXXX.

50 Decimus dictus est Nestor ex urbe Pillo. Vir albus, statura altus, habens nasum aduncum. Et fuit vir magni consilii et liberalis, et habuit naves LXXXX. Eius uxor dicta est Anabia, et genuit duos filios, scilicet Antilocum et Trasimedem, qui etiam fuerunt in obsidione Troye.

55 Undecimus princeps dictus est Prothisiaus ex Ypide urbe. Vir albus, velox et temerarius. Et fuerunt cum eo Podarchus frater eius et Emeus Fareus, et habuit naves XL.

60 Duodecimus princeps dictus est Ydomeneus Cretensis, cum Merione socio. Vir magnus et pernitiosus. Et habuit naves LXXX. Cum isto Ydumeo Cretensi venit Dytes Cretensis, Ystorie Troyane conscriptor.

Tertiusdecimus princeps dictus est Aschalafus ex Orchomenia, et cum eo Ialmeneus, et habuerunt naves XXX.

Item de provintia Boetia venerunt Archesilaus, Prothenor, Penoleus, Theritus, Clonius cum navibus L.

65 Item ex Focensibus fuerunt Scepius et Epystrophus cum navibus XL.

Item ex Elide provintia fuerunt Taltipius et Dyores, Amphymachus et Polixenus cum navibus XL.

70 Item Thoas ex Tholia habuit naves XL; eius filius dictus Phylotra socius Herculis, qui post mortem Herculis sagitas divinas a diis industrie premium consecutus est.

Item ex insulis Ethmadibus fuerunt Meges et Dultius cum navibus XL.

Item Protheus Magnes naves XL habuit.

75 Item ex insula Rodo Thlepoleus naves VIII. Hunc secutus est Hercules. Istius Herculis abyatici sive nepotes fuerunt Phydis et Santippus, insignes armorum spetie, avo Hercule.

Item ex Purgis Eumellus naves XI.

Item Nereus ex Ymo naves tres.

Item ex Athenis Menesteus naves L.

- Item ex Eboa provintia Eypheus naves XL. 80
 Item ex Euripilla urbe Ptholareus et Prothesilaus naves XL.
 Item ex provintia Tracensi duo insignes medici, scilicet Podalarius et Magon filii Esculapi, ob solertiam medicine artis arcisiti fuerunt et habuerunt naves XXX.
- Item ex civitate Methon Melibea, Phylotra princeps habuit naves VII. 85
 Item Oripillus et Orchomenides habuerunt naves XLII.
 Item ex insula Cypri Cyneus princeps habuit naves XX.
 Item Leontes et Poliperthes ex in- // (*f. 236v*) -sulis contra Phares naves LXXX.
- Item ex Thebis que dicitur Stines Phylius et Thesandrus naves L. 90
 Item ex provintia Archadia Calcas, vir vates permaximus, Nestoris filius, habuit naves XX.
- Item ex insulis Cycladibus princeps Epeys habuit naves XXX.
- Advenerunt insuper alii principes, scilicet Demophonta filius Thesei et rex Atheniensis. Alii principes cum navibus advenerunt. Et fuerunt iste naves numero M CC LXXXVII, plene furmento aut equis aut curribus aliisque necessariis cibi gratia. 95
- Item duo fratres Hellene, Castor et Polux de civitate Marsopia, cum navibus multis advenerunt; sed medio mari submersi sunt antequam ad obsidionem Troye potuissent advenire. 100

191. PRINCIPES DE GRETIA MAIORE SIVE YTALIA QUI VENERUNT CONTRA TROYANOS

Et quia, ut supra dictum est, ex utraque Gretia, scilicet ex Gretia Danaa et ex Gretia Maiori que est Ytalia, militia et naves contra Troyanos profecti sunt, ideo de statu Ytalie et principum eius qui tunc temporis erant aliquid dicendum evenit. Duo enim fratres istius exercitus principes, scilicet Agamenon rex Nicenarum et insule Sicilie et Menelaus rex Lacedemonum et civitatis Palerno que est in Sicilia, ita fuerunt Ytalici sicut Greci. Et de hoc habitum est supra, eodem libro capitulo <<...>>. Tertius princeps dictus est Dyomedes rex Apulie, que prius dicta est provintia Danua. Et iste Dyomedes secundum Eutropium 10

80. provintia : proyntia *B* 91. Nestoris, recte Testoris 97. aliisque : aliis queque *B*

interfuit obsidioni Troyane. Et potest dici quod iste fuit Dyomedes Eurialus, de quo supra dictum est in precedenti capitulo. Hic Dyomedes multas construxit civitates. Quartus princeps dictus est Hercules, qui secundum Ysidorum Ethymologiarum in Campania construxit civitatem quam Pompeyam nominavit, de quo dicit Ysidorus, capitulo de promontoriis, quod contra Troyam cum Silentio vel Sileno venit. Hic concubuit, secundum Iustinum, cum Carmente nimpha Iuniore et genuit filium qui dictus est Latinus, qui fuit rex in Laurentia civitate annis XXX. De isto rege Latino dicit Zanotus in Cronicis quod Latinus genuit filium qui dictus est Prenestes, abyaticus Ulixis, qui condidit civitatem Prenestrinam, et ex alia uxore dicta Amata genuit filiam que dicta est Lavinia. Et de isto Hercule qui connumeratur inter principes Grecos nati sunt duo abyatici sive nepotes armorum insignes avo Hercule, de quibus habitum est supra capitulo proximo <<...>>. Quintus princeps dictus est Mesenzius, qui regnabat in civitate Mediolani. De isto non dicitur quod interfuerit obsidioni Troye, licet credatur.

Item in insula Sardinie iamdudum regnaverat rex Sardinus et in insula Corsica rex Cyrenen, ambo filii Herculis. Item Turnus gygas rex regnabat in provintia Apenina que dicta est Ymbria, licet Gothofredus Viterbiensis dicat quod regnabat in civitate Saturnia, que est Subtrium, in distantia a Roma per XX miliaria. Et de isto non legitur quod interfuerit obsidione Troye. Item in provintia Venetiarum // (f. 237r) regnabant populi qui secundum Tytulivium dicti sunt Euganes.

Item iuxta Romam trans Tiberim regnabat seundum Titum Livium alter Mesentius.

Nec pretereundum puto esse quod Lacedemones populi intraverunt Ytaliam, et Athenienses et Agei, id est Greci, et Calcidenses et Thessalonenses et Tyrii et Argyvi et Aphylotre, de quibus omnibus habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>; item de Archadia, de Creta. Quando ergo dicitur «Athenienses vel Tyrii vel alii supradicti dederunt auxilium Grecis contra Troyam», quare non possum ita intelligere de Ytalicis sicut de Grecis? Et dicit Iustinus quod non pars Ytalie, imo tota Ytalia dicta est Gretia Maior, et quod Mentapotini populi construxerunt equum Troyanum per quod Troya combusta fuit.

192. DE PRIMO ITINERE GRECORUM CONTRA TROYAM; ET DE CAPRA
DYANE

Universus Grecorum exercitus apud Argos congregatus fuit, et ibi institutus fuit omnium Grecorum imperator Agamenon rex Sicilie et Nicenarum. Inde ab urbem Aulidam pervenerunt, ubi cum Agamenon imperator quandam capram dee Dyane sagita transfixisset, subito tanta pestilentia exercitum invasit quod sepultura non sufficiebat propter mortuorum multitudinem; et dixit vates: «Hec pestilentia numquam cessabit nisi Ypygenia filia Agamenonis imperatoris dee Dyane pro capra interfecta ymolaretur». Quod cum Agamenon facere nullo modo vellet, Ulixes misit literas falsas ad Climestram uxorem Agamenonis, ut filiam mitteret ad exercitum, que data erat Achilli in uxorem. Et statim puella cum mirabili apparatu advenit, portans Achilli multa ornamenta et arma. Quo audito Achilles, audiens quod deberet ymolari, gladio evaginato ipsam eripuit, et statim cerva mirabilis magnitudinis ante aram stetit; quam cum Greci ymolassent pestilentia cessavit. Inde navigaverunt ad provintiam Nisorum ubi regnabat Athelefus vir probissimus, qui ipsos ad terram descendere prohybuit. Hic fuit filius Herculis, corpore giganteus, non inferior patre in fortitudine corporis. Hic habuit in uxorem Astio-
cen filiam Priami, que genuerat filium qui dictus est Euripillus. Ideo contra Grecos fortissime dimicavit atque turpiter cecidit. Tunc tres fratres, scilicet Thelopemus et Eutippus et Fidippus, nati ex Thesallo fi-
lio Herculis, ad ipsum regem Athelaphum missi sunt; quos ut cognovit ipsos esse Herculis abyaticos, cuius ipse filius fuerat, gratanter receipt; quibus multa munera optulit et Grecos abyre permisit. Et pervenerunt ad provintiam Boetiam, ubi fecerunt totam yemem. Et adveniente tem-
pore veris ad Troyanum portum aplicuerunt, et ex illa parte, scilicet maris, civitatem obsiderunt. Et stabat iste exercitus Grecorum X annis semper in navibus die ac nocte. Interdum tempore pugne descendebant de navibus et ascendebant terram firmam, alii in curribus, alii in equis,
alii pedes.

193. DE STATU CIVITATIS TROYANE

Expeditis autem his que pertinent ad exercitum Grecorum, nunc
 restant videnda illa que pertinent ad statum Troyanorum. Et primo dice-
 mus de statu civitatis Troyane, secundo de statu templorum, // (f. 237v)
 5 tertio de principibus Troyanorum, quarto prosequemur ystoriam. De
 statu civitatis est sciendum quod Troya est nomen provintie et Ylion est
 nomen civitatis, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.
 Troya, id est provintia, fuit murata muro quadro, et secundum quod
 10 Iohannes dicit in Cronicis, in quolibet latere murus habuit iter trium
 dierum et fuit circuitus istius muri habens miliaria CCCLX. Et fuerunt
 multe porte in isto muro, nec umquam Greci potuerunt intrare intra
 istum murum, nisi quando civitas fuit destructa. In medio spatio istius
 15 muri erat quedam maxima civitas dicta Ylion, et in circuitu muri erant
 turres rotunde, altissime et spise, ita quod totus murus videbatur esse ex
 turribus fundatus. In medio istius civitatis Ylion erat domus Priami,
 mirabilis et deauratis figuris ornata, que dicebatur Pergama. Unde Ovi-
dius, quod Paris dixit Hellene:

Yllion aspities, fundata turribus altis.

194. DE TEMPLIS TROYANORUM ET VATIBUS ET RITU IPSORUM, ET DE
 BROLETO ET BROLO

Extra portam civitatis Ylion erat sepulcrum Ylli regis, et ibi iuxta fuit
 postea sepultus Hector. Iuxta istud sepulcrum erat quoddam nemus sive
 5 lucus, in circuitu habens murum altissimum, et dicebatur istud nemus
 poemerium sive pomerium propter multitudinem fructuum, quod lin-
 gua latina dicitur brolum. In medio istius brolii erat unus fons sive
 puteus vivus, in quo lavabant se sacerdotes. In medio istius brolii sive
 10 nemoris erat unum fanum sive templum quod dicebatur templum
 Apolinis, ubi erant aliqui sacerdotes qui ymolabant animalia et aliquae
 virgines dicte sacerdotisse que offerebant flores, et aliqui prophete sive
 vates qui cantando futura predicebant. Unde et istud templum interdum
 dicebatur Vaticanum, quia vates cantabant. Iuxta templum, foris portam

templi, erat ara sive altare in quo animalia comburrebantur; et ad istum templum diebus festivis non solum Troyani, sed etiam Greci datis induitiis conveniebant. Et in isto templo fuit interfectus Achilles quodam die festo. Et in ipso eodemque spatio inter Ylion et murum Troyanum erat aliud templum quod dicebatur templum Minerve, cum poemero parvo quod dicitur lingua latina broletum, id est parvum brolium, sicut supradictum est eodem libro capitulo <<...>>. Quod templum Ylius rex in honorem Minerve consecravit, ubi de celo dillapsum est quoddam ydolum quod dictum est Palladium. In utroque templo, scilicet Apolinis et Minerve, erant sacerdotesse due filie Priami, scilicet Polixena et Cassandra, virgines pulcerrime quibus Helena in pulcritudine non potuit comparari. Sacerdotes fuerunt Chyrses et <<...>>; hii ante altare stabant cum mitris in capite et cum sertis florum, et stantes ore aperto super ignes atrahebant vaporem fateticum, id est fata dicentem sive inspirantem. Tunc templum replebatur avibus. Corvus erat dicatus deo Apolini et aquila erat sacrata dee Minerve. Vultur semper facit augurium bonum, ancipiter significabat predam, bubo // (f. 238r) mortem, cygnus agmina et aquilla reges. Cygno cadente acierum casum designabat; secundum numerum aquilarum erat numerus regum designatus, aut in bonum aut in malum. Et isti sacerdotes, qui de volatu avium aut cantu divinabant dicti sunt augures. Alii sacerdotes, qui venas peccudum rimabantur aut intestina aut ossa secundum saltum rectum aut curvum futura predicebant, dicti sunt aruspices. Alii, qui vices cursusque stellarum et ubi sit luna aut in quo signo observare consueverunt, dicti sunt mathematici. Qui vero fumum aut vaporem atrahunt ore et aeros spiritos lito humano cruento, dicti sunt nigromantici. Hec que dicta sunt sepius in ista ystoria Troyana et aliis ystoriis leguntur.

15

20

25

30

35

40

195. DE NOMINIBUS REGUM TROYANORUM ET PHYLOSOPIIS IPSORUM

Sicut de principibus seu regibus Grecorum ac ipsorum physonomia et nominibus et potentia dictum est, ita convenienter et de Troyanis dicendum erit.

Inter principes Troyanos primus et summus dictus est Priamus, vir si-

5

194 - 25. *spatium vacuum relicturn* (8 fere litterarum) in B 31. *cyno* : *cyno* B
33. *cantu* : *car-ntu* in duabus lineis B

10

quidem statura permaximus, habens vultum aquilinum et pulcrum nimis. Eius uxor dicta est Hecuba, filia Dymantis ex Frigia; vel secundum aliquos fuit rex Thebanus, cuius fratres dictus est unus Ausius et alter Asyus, eius filie dicte sunt una Hecuba, altera Leda. Ex qua genuit filios et filias.

15

Primogenitus dictus est Hector, vir candidus, oculis strabus, blesus lingua, optime barbatus, membris velox, viribus eminens, LX militum habens fortitudinem, animo magnus, amator belli, cautus, dignus amore, suis civibus clemens, hostibus terribilis. Eius uxor dicta est Andromacha, que genuit filios, scilicet Anstinationem et Tynatem, Franchonem, Laumedontam Iuniorem. Mortuo Hectore Andromacha uxor eius nupsit Pyrrho filio Achillis, et genuit filium qui dictus est Molosus.

20

Secundus filius Priami dictus est Dyphebus, albus corpore, magnus statura, aquilino vultu, viribus fortissimus, Hectore fortior, qui mortuo Alexandro Paride Helenam duxit uxorem. Hic semper bella persuasit.

25

Tertius dictus est Hellenus, similis Dyphebo in vultu sed disimilis moribus. Fuit enim dulcis et litteratus et propheta maximus: inter cetera predixit Troye destructionem, Grecos advenire, parentes interfici, nisi Helena redderetur. Hic solus ex filiis Priami post Troye destructionem supervixit, factus rex Tremisse civitatis.

Quartus dictus est Troyllus, altus statura, fatie pulcerrimus, fortis viribus licet puer, cupidusque virtutis, non minus fortis quam Hector. Hic genuit filium qui dictus est Turchus, a quo descenderunt Turchi.

30

Quintus dictus est Alexander sive Paris, vir pulcerrimus habens oculos mirabilis pulcritudinis; capili erant albi, os venustum, vox suavis, statura alta, vires eius in excessu, et semper fuit imperii cupidus. Hic duxit Helenam in uxorem, quam tenuit XX annis et mensibus VIII; et genuit ex ea duos filios, scilicet Corinthum et Ydeum. Mortuo Paride, Helena nupsit Dyphebo filio Priami; postea ivit ad Menelaum virum suum. // (f. 238v)

Polixena filia Priami, que cunctas mulieres forma precedebat, fuit albior nive, alta statura, oculis michantibus more stellarum. Collum fuit longum et candidum nimis, capilli flavi et longi, manus longe et tornatiles digitus; ambulans recto pede, animo simplex, larga et dapsilis. Hanc

Achilles summo dillexit amore, propter cuius causam interiit in templo Apolinis; hanc Pyrrus filius Achillis iugulavit eo quod fuerit causa mortis patris sui. 40

Cassandra fuit ruffa, alta statura, oculos habuit michantes, os rotundum, fatiem pulcrum nimis. Hec fuit vates que predixit Troye destructionem. Hanc post Troye destructionem duxit in uxorem Ayax Oylei filius, virorum fortissimus. 45

Preter has duas Priamus plures alias genuit, scilicet Creusam uxorem Enee, que genuit Aschanium. Item Ylionam uxorem Polimestoris. Item genuit aliam filiam que dicta Astiocem, que fuit uxor Athelafi regis Nisorum, de qua natus est filius qui dictus est Euripillus. 50

Preter hos filios et filias Priamus plures genuit filios, quorum nomina sunt hec: Polydorus, Pisis, Evander, Achereyus, Echenon, Deiaspis, Byas, Chorinta, Ylioneus, Phylenorus, Theystes, Thelisides, Antiplus, Agapius, Agathon, Claveus, Asteropeus. Hii omnes bello Troyano perirent preter <<...>>. Item Priamus genuit de Altiori Esachum et Canoram, sicut in subiecta patet figura. Et oportet respicere illam figuram que habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>. 55

[Figura 36]

// (f. 239r) 196. NOMINA PRINCIPUM QUI FUERUNT IN AUXILIUM TROYANORUM

Ista sunt nomina principum et regum qui asteterunt regi Priamo.

Primus dictus est Eneas filius Anchisis et Veneris Iunioris, qui fuit vir rubens, habens oculos nigros et yllares, fortis viribus, pius in consilio et totus venustus. Hic genuit de Creusa filia Priami Aschanium et de Lavinia filia Latini Iullium. 5

Alter princeps dictus est Anthenor, vir statura longus et subtilis, cautus, versutus et proditor, qui genuit filium qui dictus est <<...>>.

Item Panthiselea regina Amanzonum sive regni femenini. 10

Item rex Menon, filius Tytonis et Aurore, qui fuit rex Ethyopum et Indorum.

55. spatiū vacuū relictū (7 fere litterarum) in B 196 - 9. spatiū vacuū relictū (13 fere litterarum) in B

- Item Pantheus rex Lytie et filius Lycaonis.
- Item Ypotheus filius Pelley et Larisse, rex Pelasgidarum.
- 15 Item Zeuntus filius Eufenusti, rex Cyconiorum.
- Item Phylemones filius Melio gloriosus, rex Pafalagoniorum.
- Item duo filii regis Mimagonorum, scilicet Dyus et Epistriophus.
- Item Sarpedon rector Litium, filius Antho, cum Litio sotio. Hic Sarpedon fuit filius Xanti et Laudomie.
- 20 Item ex Iole, Monanthes et Anthimachus Nomionis de Chalanti filius et Menestes filius Thalamenei et Meoni, Chaneus filius Ypolici.
- Item Phocrus et Aschanius ex Frigia et Fronius filius Midionis ex Misia.
- Item quatuor fili Meropogeniti ex Agrestina et Asyus Hyrtachus.
- 25 Item alter Asius frater Heucube regine ex Frigia filius Dymanthi, cuius frater dictus est Ausius.
- Item Phylemius de Pamphalonica.
- Item de Boetia venerunt tres fratres, scilicet Sanyas, Asyanus et Portius.
- 30 Item Tereus de Zizomia et Perses et Menon de Ethiopia.
- Item Cynus rex Metrosenium, cuius regnum erat iuxta Troyam, cuius filia dicta est Clances, quam captivam abduxit Achilles.

197. DE PRIMO BELLO INTER TROYANOS ET GRECOS

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXX, anno post conditum Mediolanum VII^CXX, incepit fuit primum bellum inter Troyanos, quorum capud et imperator fuit Hector, et inter Grecos, quorum capud et imperator fuit Agamenon rex Nicenarum et Sicilie. Fuit autem incepit hoc modo: quia Greci de navibus egressi, campum magnum quod erat inter murum Troyanum et littus maris ingressi, pugnam inceperunt, et fuit pugna fortis. Ibi occisus est tello Enee Prothesilaus Grecus. Similiter ex parte Troyanorum interfici sunt duo filii Priami et alii multi ex utraque parte. Finaliter Greci subcubuerunt et ad naves fugierunt. Tunc Cynus rex Metrocensium, cuius regnum erat iuxta Troyam, oculte Grecos invasit; quem Achilles interfecit, cuius filia dicta Clances capta fuit cum duabus fratribus suis, scilicet Chobin et Corianeo. Devastaverunt insuper Greci quasi facti pyrrate maris civitates, scilicet Metrosensem et Cyllam.

Tunc Greci ordinaverunt quod Pallamides vir egregius sacrificium offerret Appolini Minthio; propter quod invidus Ulixes ipsum in quendam puteum proytiens submersit. Sed Servius dicit quod Ulixes nolens // (f. 239v) interesse obsidioni Troyane, fatuum se simulabat et vinctis sub uno iugo cane et porco campum arabat et sal seminabat. Sed Pallamides filium Thelamachum aratro opposuit, quem Ulixes vitavit; propter quod iudicatus est quod non esset fatuus, [unde Ulixes ipsum in puteum submersit]. unde violenter Pallamides ipsum ad exercitum traxit; propter quod indignatus Ulixes ipsum in puteum submersit. Hic Palamides fuit magne scientie, qui invenit tabulam, id est ludum texere, qua iactantur in texera alearum. Tunc Achiles opidum Lesbum in insula cepit, Forgantam illius insule regem interfecit, Dyomedeam filiam regis cum magna preda adbuxit. Similiter Ayas Thelamonius vir egregius Tarchum Cheronensem obsedit, ubi Polidarus filius Priami parvulus proditorie datus fuit. Et propter has victorias Achilles et Ayas, in quibus erat omnium Grecorum spes et fidutia, ramis olivarum coronati sunt. Et ex omni preda Agamenon imperator exercitus habuit filiam Chyrsi sacerdotis, que dicta est Astinoma filia Chyrsi. Achyles autem optimuit duas, scilicet Dyomedeam supradictam et Ypodomiam Byrssi filiam.

198. LEGATI GRECORUM VADUNT AD PRIAMUM

Greci ad Priamum miserunt tres legatos, scilicet Menelaum, virum condam Helene, et Ulixem et Dyomedem. Cum autem venissent Troyam Menelaus, cuius gratia exercitus Grecorum fuerat congregatus, sic locutus est: «Ego alia vice et nunc secundo veni Troyam repetens uxorem meam Hellenam. Quam si recepero, vobis reddetur Polyandrus filius Priami; sin autem interficietur». Hector respondit: «Cuncta que frater meus Paris de preda nobis abstulit reddantur. Helena non, quam in fidem recepimus, sed detur Menelao in uxorem Cassandra vel Polixena, et Polyandrus nobis reddatur». Tunc Menelaus ait: «Per deum Herculem, non mutabo matrimonium proprio spoliatus amore». Nichil actum est. Et tunc Greci Polyandrum ante portas urbis Troye lapidibus obruerunt. Tunc Cyrses sacerdos dei Apolinis filiam suam Astinomam

ab imperatore Agamenone repetiit. Quam cum reddere nolet, iratus
 15 deus Apolo magnam pestilentiam in exercitum Grecorum inmisit.
 Propter quod Achilles ait Agamenoni: «Aut Astinomiam filiam sacerdo-
 tis restitues, aut statim imperio privaberis». Ex tunc Agamenon filiam
 20 sacerdotis dimisit; et mittens homines armatos ad domum Achillis,
 Ypodomiam uxorem eius rapi iussit. Ex hoc turbatus Achilles de cetero
 pugnare noluit. Unde Agamenon Ypodomiam reddere coactus fuit; et
 precibus Ulixis et Phenicis et Patroculi, Achilles cum Agamenone pacem
 fecit et arma resumpsit.

199. DUELLUM INTER PARIDEM ET MENELAUM

Post aliquos dies inter uterque exercitus ad campum exivit et pugna-
 tum est usque ad meridiem. Tunc Menelaus, ut Paridem Alexandrum
 5 adesse cognovit, magno impetu in ipsum ruit, et pugnaverunt ambo sin-
 gulari certamine. Et fractis utriusque gladiis, iterum novi enses dati sunt
 ambobus, // (*f. 240r*) et perexerunt invicem contra. Et vulneratus est
 Paris in femore, et vix evasit.

Deinde yemps supervenit et tregue facte sunt usque ad tempus veris.
 Durante tregua dies festus Troyanorum advenit, in quo fiebat precipua
 10 solempnitas deo Apolini iuxta portam civitatis Ylii, ut supra dictum est.
 Achilles de beneplacito Priami templum intravit; ubi cum vidisset Poli-
 xenam filiam Priami virginem spetiosam nimis, eius amore exarsit, quam
 15 in uxorem ab Hectore petiit. Cui Hector dixit: «Si dederis michi filios
 Phylstenis, scilicet Agamenonem et Menelaum et Ayacem Thelamonum
 consanguineum meum germanum, fatiam quod petis». Et Achilles
 promisit. Cum Achilles ad naves rediit amoris ardore iaculatus, persuasit
 20 Grecis exercitum solvere et abyre. Unde ait: «Quid est propter unius
 mulieris causam, scilicet Helenam, totam Gretiam et Europam evocatam
 esse, tanto tempore circa Troyam sedisse, tot milia hominum perisse, tan-
 ta pericula abyre, libertatem in ancipiti esse? Ergo oportet pacem facere
 et domum reddire». His verbis Achilles habitus fuit de proditione sus-
 pectus; sed quia Hector ei pacta non adimplevit, Achilles fortius solito
 pugnavit contra hostes.

Transacta yeme Troyani et Greci ad campum processerunt. Tunc comissa est pugna, et Dyomedes Grecus in curru aureo, subvehentibus equis vellocissimis, Pygrenium regem Paonium asta transfixit. Et Ydomeus in alio curru positus in Troyanos dimicans Agamantam regem Theucrum de curru deiecit. Ubi interficti sunt X filii Priami. Sed Hector exercitum Grecorum prostravit: Patrocolum virum fortissimum Achillis socium interfecit; Dyorem et Polysenum Helyos deiecit; et Helenus, alter frater Hectoris, Achillis manum perforavit. Et Hector ad naves Grecorum prorumpens ignem subposuit; ubi cum cognovisset Ayacem Thelamonum filium Esyones, sororis Priami, ab incendio destitit. Et facte sunt tregue inter Troyanos et Grecos ad tres annos. Tunc Bri-
seis filia Calcas de Troya egressa ad patrem rediit.

25

30

35

200. DE MORTE HECTORIS; ET DE PANTHESILEA REGINA AMANZONUM

Finita tregua trium annorum, et ecce Panthesilea regina Amanzonum Priamo auxilium prestitit. Cui cum occurreret Hector et flumen quodam transire vellet, Achilles de insidiis prosiluit et comissa pugna, cum Hector quendam militem galea detinuisse et ad terram prosterneret, Achilles proditorie Hectorem a tergo percussit et interfecit. Quem ligatum pedibus ad currum suum cumligavit et precepit aurige ut lora daret equis, et per medium campum iuxta muros Troye miserabiliter traxit. Quem videntes Troyani tot lacrimas, tot clamores in altum atullerunt quod aves de aere mortue ceciderunt. Quo auditio Priamus vestitus ciliatio de Troya exiens, ab Achille corpus Hectoris petiit; quod dare noluit. Supervenit Andromacha uxor Hectoris cum parvulis filiis suis, sed nichil profuit. Tandem venit Polixena filia Priami, de cuius amore Achilles languebat, que provoluta pedibus Achillis cum lacrimis petiit corpus Hectoris. Quam ut Achilles plorantem vidit, lacrimatus est et corpus // (f. 240v) Hectoris ei donavit, quod fuit cum mirabili honore tumulatum iuxta tumulum Ylii regis, iuxta portam civitatis. Hectoris epytafium tale fuit:

5

10

15

20 Defensor patrie, iuvenum fortissimus Hector,
 qui murus miseris civibus alter erat,
 occubuit tello violentus victus Achillis,
 occubuere simul spesque salusque Frigum.
 Hunc ferus Eacides circum sua menia traxit,
 25 quem iuvenis manibus traxerat ante suis.
 O quantus Priamo lux atulit illa doloris!
 Quos fletus Heucube, quos dedit Andromacha!
 Sed raptum pater infelix auroque repressum
 condidit, Emerens acumulavit humo.
 30 Vel sic et breviter:
 Troyum protector, Danaum metus, Hic iacet Hector.

201. DE FILIIS HECTORIS

Hector hic genuit plures filios quorum nomina sunt hec: Laomedonta Iunior. Franchonus a quo Franchorum domus exorta est in Alamania. Item genuit alios duos filios, scilicet Antistanetia et <<...>>, qui cum crevissent arma capientes ad ipsos universi Troyani congregati sunt, et pergentes Troyam filios Anthenoris proditoris qui regnabant in Troya inde expulerunt et regnum optinuerunt, tempore Hely sacerdotis qui iudicavit Israel. Deinde Francho primogenitus Hectoris in Ytaliam venit, et transiens in Allamaniam civitatem construxit in rippa Reni fluminis, ex cuius nomine tota provintia dicta est Franchonia et reges dicti sunt reges Franchorum, cuius regni capud secundum Gothofredum Vitorbiensem fuit Maganzia; ex quibus natus est Karulus Magnus. Item ex Troyollo filio Priami natus est filius qui dictus est Turchus, qui ex suo nomine provintiam vocavit Turchaniam, et de ipso descenderunt populi dicti Turchi. Mortuo Hectore et Troya destructa, Andromacha Hectoris uxor in captivitatem redacta nupsit Pyrro filio Achillis et genuit filium qui dictus est Molosus, a provintia Molloso in qua nutritus fuit, qui genuit filium qui dictus fuit Magnetes.

200 - 27. quos : quod *B* 201 - 4. *spatium vacuum relicturn (io fere litterarum) in B*

202. DE PUGNA AMANZONUM

Mortuo Hectore, Panthesilea regina Amanzonus, arma clamitans, Hectoris mortem vindicare studuit. Erant enim Amanzones mulieres terribiles, audaces, arma dilligentes, que archus argenteos secum portabant et sagitis hostes prosternebant. Eis erant gladii accincti super femur et hastis sepius dimicabant. Hec contra Achillem pugnantes, Achilles reginam Panthesileam hasta petiit et illa Achillem acriter vulneravit. Pugnant ambo diutius et Panthesilea prosternitur, que cum Neopholomum Achilis filium, qui dictus est Pyrrus, usque ad mortem vulnerasset, manibus Neopholomi interficta fuit. Deinde Menon rex Ethyopum et Indorum contra Grecos pugnavit et post longum certamen de curru exiliit et cum Ayace Thelamonio pedes conflxit. Multi filii Priami sunt interfici et nulla victoria apparuit. // (f. 241r)

203. DE MORTE ACHILLIS

Regina Hecuba, filii sui Hectoris mortem ulcisci cupiens, misit ad Achillem ut ad templum Apolinis quod erat iuxta portas civitatis Ylii adveniret; cui filiam suam tradere volebat in coniugem, Polisenam nomine. Quod ut Achilles audivit letus venit. Quem ut vidit Deyphebus eum proditorem appellavit super mortem Hectoris fratris sui. Achilles turbatus in ipsum irruit, Paris ex adverso gladium eius femori infixit, quem extra templum eiecit. Sic proditor Achilles proditoris mortem luit. Eiusque ossa Greci in Thesaliam ad patrem suum miserunt. In cuius sepulcro tale epythafium habetur:

Pellides ego sum, Thetides novissima proles,
cui virtus clarum nomen habere dedit,
qui strati totiens armis victricibus hostes
hincque fugam solus milia multa dedi.
Hectore sed magno gloria est michi gloria cesso,
qui sepe Argolicas debilitavit opes:
ille interemptus subiit vindice penas,
Pergama tunc ferro occubuere meo.

203 - 5. Deyphebus : Deiphebum B 16. cesso : cesso B

20 Laudibus immensis vitor super astra fererebar,
compressi hostillem fraude peremptus humum.

204. DE MORTE PARIDIS ET DE PRODITORIBUS TROYE

Pirrus qui et Neoptolomus filius Achillis, Mirmidoniorum rex, de quo dii predixerant quod Troyam esset destructurus, patris sui ultiōem peragere cupiebat. Et comissa est pugna. Ibi Paris qui et Alexander Aya-
5 cis Thelamoni gladio perfossus occubuit. Corpus Paridis in Troyam dela-
tum est in domum Oenone prime eius coniugis, que viso Paride mor-
tuō ipsa pre dolore vitam finivit. Priamus corpus filii in opido sepelivit,
quem Helena magno ululatu flevit. Et post paucos dies Deyphebus alter
filius ipsam in uxorem duxit. Reliquid autem Paris duos filios,
10 Corinthum et Ydeum. Mortuis filiis Priami XXI, Eneas et Anthenor –
et secundum Vicentium Polydamias fuit ipsorum de proditione sotius –
de proditione civitatis cogitaverunt; unde dixerunt quod Helena cum
his que ablata erant Menelao restituerentur. Et eentes ad exercitum
15 Grecorum omnia mala dixerunt de Priamo et filiis et promiserunt dare
Troyam Grecis sub his pactis quod ipsorum domus non destruerentur,
et dimedietas bonorum Priami essent Anthenoris, quod filius Anthenoris
esset rex Troyanorum. Enee promiserunt partem prede et domus eius
salutem et perpetuam Grecorum amicitiam. Et tunc adimpta fuit visio
20 Priami, qui vidit Hecubam uxorem suam gravidam de Paride quod
pariebat unam facem accensam que totam Troyam consumeret exceptis
domibus Enee et Anthenoris. Anthenor regresus Troyam procuravit
habere ydolum quod dicitur Palladium, de quo supra dictum est. Tunc
principes Grecorum Troyam venerunt et facta est pax inter Troyanos et
25 Grecos, invocantes in suos testes Iovem et Terram et Solem et Lunam et
mare Occeanum.

205. DE EQUO PLENO ARMATIS

Tunc dolo Enee et Anthenoris, volentium domum Priami destruere
et imperium // (f. 241v) Troyanum arripere, Greci per manus Epyon,
fabricatoris optimi, factus est unus equus magnus tabulatis extuctus super
5 quatuor rotas, de quo dicit Agustinus in primo libro Confessionum

204 – 16. bonorum : bonorum essent *B*

quod erat plenus armatis. Quem Greci dixerunt quod dedicare vellent
 dee Minerve; sed quia propter magnitudinem ingredi portas civitatis
 non poterat, Troyani propriis manibus muros civitatis deo Neptuno et
 deo Apolini consecratos diruerunt. Adveniente nocte dum Troyani dor-
 mirent, positis custodibus ad domus Anthenoris et Enee, armati de equo
 prosilientes, primo Pyrrus filius Achillis Priandum iugulavit. Menelaus
 Deyphebum filium Priami, qui Helenam duxerat uxorem, membris
 trunchatis interfecit, et Helenam in magnam gratiam recepit. Cassan-
 dram habuit Ayas Oyley. Polixenam filiam Priami Pyrrus filius Achillis
 iugulavit, quia causa fuerat mortis patris sui Achillis. Heucuba libera
 dimissa est. Vicentius in Speculo dicit quod Helenus filius Priami per-
 maximus vates cum Cassandra sorore sua, vate mirabili, et Heucuba
 matre sua et cum Andromacha et aliis MVII^C perrexit Termissem. Et
 dicit Servius quod iste Helenus captus fuit apud Arisbam a Grecis; et
 quia Grecis licet invitus prediceret de Troye destructione et de Palladio,
 et quia predixit quod omnes Greci qui per mare redirent in domos suas
 paterentur naufragium – quod et factum fuit –, persuasit Pyrro filio
 Achillis quod per terram domum reddiret. Ex hoc Pyrrus eum gratum
 habuit, et sic a Pyrro regna promeruit. Principes Grecorum Helenam
 morti iudicaverunt, sed Menelaus amorem coniugii retinens, magnis
 precibus et muniberis distractis, ipsam liberavit. Ajax Thelamonius viro-
 rum fortissimus, qui omnia pondera belli Grecorum sustinuit, simula-
 crum Palladii pro munere petiit, quod sublatum inveniens se ipsum
 interfecit. Et reliquid filios quorum nomina sunt hec: Eantices, Glauca-
 genus et Eurisaces, quos genuit ex Tecmixa uxore sua, quos Theucer
 enutritivit. Hii dicebant Agamenoni et Menelao eos esse ignobiles, natos
 ex Phylistenidis, unde de Troya egredi sunt coacti. Hic Agamenon ex
 uxore sua Climestra genuit filium qui dictus est Horestes. Hec Climes-
 tra, audiens quod Agamenon imperator exercitus Grecorum mulieres
 Troyanas secum adduceret, ipsum fecit interfici et nupsit adultero suo
 qui dictus est Egistrus, de quo genuit filiam que dicta est Erigones.
 Horestes fugit Corinthum; qui congregans exercitum matrem et Egis-
 tum adulterum virum eius et omnes interfectores patris occidit, et reg-
 num Nicenarum quod fuerat patris sui optimuit et Hermionem filiam
 Menelai et Helene in uxorem duxit. Tunc Pyrrus Achillis filius, inven-

to Pellea avo suo et Thetide avia sua qui continue mortem Achillis plorabant, visitavit et Thesalicum regnum optinuit. Hermionem uxorem Horestis rapuit; propter quod Horestes ipsum interfecit apud Delphos in templo Apolinis. Hic Pyrrus condidit in Gretia civitatem que dicta est Epyrrus, que toti provintie nomen dedit, cuius pars dicitur Caonia, que postea dicta est Molosia. Et reliquid Pyrrus Andromacham condam Hectoris uxorem gravidam; que peperit filium qui dictus est Mollosus, Laomedonte filio // (f. 242r) Hectoris moribus et vultu consimilem. Quem Pelleus athavus pueri et Thedis eius uxor Andromacham cum parvulo miserunt in Epyrrum civitatem, quam pater pueri construxerat. [Et istorum duorum filiorum Andromade postea Troyam in propriam patriam sunt reversi. Menelaus cum Helena in regnum suum Lacedena navigavit]. Hic puer dictus est Molosus, qui provintiam ex suo nomine appellavit Molossiam. Deinde Helenus frater Hectoris, mortuo Pyrro, Andromacham condam Hectoris uxorem suscepit tenuitque regnum privigni sui Pyrri qui successerat Hectori fratri suo. Hic Hellenus fratrem suum Caonium nomine interfecit. Et dicit Gayfredus in Ystoria Anglicana quod de isto Helleno filio Priami nati sunt in Gretia VII^M virorum, exceptis parvulis et mulieribus, quos Butus filius Silvii regis Ytalie, filii Aschanii, filii Enee, liberavit et <in> Angliam duxit, quam ex suo nomine Britaniam appellavit.

206. DE FACTIS ULIXIS

Ulixes autem, qui ante Troye obsidionem ex Penelope uxore sua genuerat filium qui dictus est Thelamachus, qui duxit uxorem nomine Nausicam filiam Alcinei regis Feacum, de qua genuit filium qui dictus est Ptholiportus. Post Troye destructionem Ulixes domum remeavit, et habita visione didicit quod a filio suo interfici deberet. Unde in Siciliam navigavit et transiens ad insulas Eloy, ubi regnabat Cyrces maga que hospites suos dementabat, pervenit. De qua filium genuit qui dictus est Thelagonus, qui patrem interfecit non credens eum esse Ulixem. Item genuit filium qui dictus est Auxonus et filiam que dicta est Amata, que fuit

205 - 51-52. et istorum... navigavit *seclusi quasi notam de margine in textum transpositam* 60. in Angliam : Angliam *B ~ quam : qua B*

uxor regis Latini, et genuit filium qui dictus est Prenestres et filiam que dicta est Lavinia, que fuit uxor Enee Troyani. Genus Ulixis in subiecta patet figura.

[Figura 37]

207. NUMERUS INTERFECTORUM IN URBE TROYA

Capta est autem Troya secundum Servium luna existente septima, // (f. 242v) Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXXX, ante Romam anno CCCCXXXI, anno Abdon iudicis Israel tertio, anno Agamenonis regis Nicenarum XV, anno post conditum Mediolanum VII^CXXX. Et interfici sunt ex Troyanis VI^CLXXVI^M, et post captam Troyam CCLXXVI^M. Ex Grecis interfici sunt VIII^CLXXX^M. De hac destruk*5*
tione Troye dicit Agustinus libro XVIII De Civitate Dei: Troya destruc*10*
ta est regnante apud Latinos Latino, Fauni regis filio, et iam regnaverat Latinus annis XXXIII.

208. ANTHENOR FIT REX IN TROYA

Post Troye destructionem, secundum quod dicit Dares Frigius, Agamenon iratus Enee Anthenorem in Ylio sive Troya regem instituit. Et Eneas similiter in Troya permansit, qui invidens Anthenori eo quod regnum optinuisse, perrexit ad insulam Dardaniam, et congregans exercitum contra Anthenorem regem Troyanum ad civitatem Troyam perrexit, cui Anthenor portas urbis clausit. Tunc omnes Troyani qui evaserant Troyam reddierunt et ingens populorum multitudo in modico tempore coadunata fuit. Et tunc Enideus rex Crebenorum cum rege Anthenore amicitias fecit. Tunc Eneas cum omni patrimonio suo XXII naves, quibus Paris Alexander Helenam rapuerat, ascendit, habens secum homines III^MCCCC et ad mare Adriacum navigavit, ubi duas civitates in Ytalia construxit, quarum una dicta est Corcira, alia Melina.
5
10

209. DE ABDON IUDICE Iudeorum

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXLIII, mundi II^MVIII^CVIII, ab egressu Egipti CCCXXXVIII, post conditum Mediolanum VII^CXL-

5 IIII, Abdon iudicavit Israel annis VII. Hic fuit de tribu Efraym. Iosephus.
 10 Abdon filius fuit Hylionis sive Achylonis, princeps Pharronitarum, qui
 habuit XL filios, qui genuit alios XXX filios; et fuerunt in universo de
 semine Abdon LXX, equis erudit, quos omnes superstites reliquid; sub
 supradictis tribus iudicibus, scilicet Abesan et Aylon et Abdon, Israel non
 recessit a Domino. Ideo quievit terra et nichil dignum memoria actum
 est.

210. DE LATINO REGE YTALIE

Isto tempore in Ytalia regnabat Latinus annis XXXIII. Cepit autem
 regnare ante Christi nativitatem MCCXVI, ante Romam conditam
 VIII^CLVI, ante Troye destructionem anno XXXIII. De isto Latino dicit
 5 Iustinus Trochi abbreviator quod Hercules, mortuo Gerione, circa annum
 nativitatis Habraee VII^CXX ex Carmente Iuniore, filia Carmentis
 Nicostrate et Fauni regis, per concubinatum genuit filium qui dictus est
 Latinus, qui Latinam linguam correxit et abiepto ydiomate Greco lin-
 guam Latinam introduxit. De isto Latino dicit Zenotus in Cronicis quod
 10 genuit filium qui dictus est Prenestres, qui civitatem condidit quam ex
 suo nomine Prenestrinam nominavit; et fuit natus de quadam filia
 Ulixis. Unde dicit Solinus: «Civitas Prenestre, ut refert Zenotus, condita
 15 fuit a Prenestre nepote Ulixis et filio Latini». Sed Cronice Prenestrine
 dicunt quod fuit condita <...>, quem iuxta ignes casu invenerunt
 sorores Eligidorum. Item genuit rex Latinus ex Amata uxore sua filiam
 que dicta est Lavina, quam duxit in uxorem // (f. 243r) Eneas Troyanus,
 de quo erit subsequens sermo.

211. DE ENEA ET QUOMODO CIRCUIT MUNDUM

Ubi est sciendum quod Priamus rex Troyanorum fuit consanguineus
 germanus Anchisis, nati de duobus fratribus, ut supra dictum est eodem
 libro capitulo <<...>>. Hic Anchises duxit uxorem que dicta est Venus
 5 Iunior, de qua genuit filium qui dictus est Eneas, qui fuit consanguineus
 germanus Hectoris et aliorum filiorum regis Priami. Et iste Eneas duxit

9.a : ad B 210 - 3. nativitatem : nativitate B 4. ante Troye destructionem *bis scriptum in B* 14. lacuna, nullo spatio vacuo relicto, in B, fortasse supplenda a Ceculo iuxta Solinum 2, 9

uxorem Creusam nomine, filiam Priami regis, que erat sua consanguinea secunda germana; de qua genuit filium qui dictus est Aschanius, ab Aschanio fluvio Frigie ubi natus fuit, deinde dictus Ylius, ab Ylio rege qui Ylion sive Troyam condidit, et Iullius. Et cum cepisset Eneas proditor esse Priami et filiorum, uxorem suam habuit odio, quam igne concremavit et dee Minerve ymolavit. Destructa Troya voluit expellere de Troya Anthenorem regem Troye, sed non potuit. Unde accipiens XXII naves habuit secum III^MCCCC homines; inter quos fuit Anchises pater eius, et Aschanius filius eius, et Gayeta nutrix sua, item Misenus tybicines eius et Palinurus gubernator eius, et Roma quam quidam dixerunt esse eius sororem. Et dicit Papias quod Eneas portabat secum in vagina sua lapidem pretiosum qui dicitur agathes, qui ipsum fatiebat gratiosum. Habuit etiam secundum Bedam coronam regis Priami. Deinde secundum Ovidium in Maiori Eneas navigavit ad insulam Delphos ubi consuluit Apolinem Delphicum, qui respondit quod in Ytalia esset regnaturus; ubi a sacerdote dicto Anio, qui templum Apolinis custodiebat, recepit cyphum in quo erant sculpte filie Thebe et Orionis. De Delphis navigavit Cretam, inde venit in Ytaliam per ora maris Venetiarum sive Adriaci et ibi construxit duas civitates quarum una dicta est Corcira, altera dicta est Melina. Inde navigavit Ambranziam ubi invenit sculpatam in saxo ymaginem Ambransii. Deinde ivit in Aoniam ubi vidit filios Mollosi regis sine igne concrematos. Finaliter venit ad insulam Sicilie ubi invenit Alcestem genere Troyanum, qui ibi a pueritia fuerat nutritus, qui donavit Enee urnas vini. Tunc Anchises pater Enee ibi mortuus est. Deinde secundum Virgilium ivit in Carthaginem ubi invenit reginam Didonem et cetera. Et hoc habitum est supra, eodem libro capitulo <<...>>. Finaliter pervenit Ytaliam et genuit de Lavinia filia Latini filium qui dictus est Iullius Silvius Postumus. [Hic sunt plura videnda].

212. ENEAS FIT REX IN YTALIA

Habraee sive etatis tertie VIII^CXXXV, secundum Eusebium post Troye destructionem anno tertio, ante Romam conditam secundum Ieronimum et Solinum CCCXXXI, ante Christi nativitatem secun-

211 - 16. tybicines, recte tibicen 30. urnas *B^{a.c.}* : utres *B^{p.c.}*, ut videtur 34. hic...
videnda adnotatio in margine in *Galvanei autographo*, ut puto

dum Orosium MCLXXXIII, post conditum Mediolanum VII^CXXXV,
 Eneas Troyanus proditor et profugus, cum XXII navibus portantibus
 III^MCCCC homines Ytalam intravit per locum illum ubi fluvius Tybe-
 ris intrat mare Romanum. Et dicit Servius quod tota illa die vidit in celo
 stellam Veneris quando agrum Laurentum intravit, et quod postea illam
 stellam non vidit; per quod intellexit illas terras sibi esse fatales. Et pri-
 mum locum habitationis // (f. 243v) sue appellavit Troyam. Et ibi pater
 eius Anchises iam defunctus apparuit in sompnis; cui dixit: «Vade ad
 Evandrum regem qui regnat in VII montibus, qui parat exercitum contra
 Latinum regem civitatis Laurentie, et fac cum ipso amicitias: tibi enim
 debetur regnum Ytalie. Et hoc erit tibi signum, quia invenies in via unam
 suem sive porcam albam habentem XXX porcellos». Expergefactus
 Eneas perrexit ad Evandrum et fecit cum ipso amicitias ut ambo pari-
 ter pugnarent contra regem Latinum. Et dicit Tytuslivius quod Eneas
 tenuit agrum Laurentem, id est terretorium civitatis Laurentie, ubi civi-
 tatem condidit quam ex nomine Troye antique Troyam nominavit et
 cepit ex agris circumstantibus predam colligere. Ex quo turbatus rex La-
 tinus contra Eneam paravit exercitum. Et comissa pugna rex Latinus
 superatus est. Tunc de pace tractari cepit, sicut dicit Gothofredus Viter-
biensis, et facta est pax sub tali pacto: quod Latinus rex filiam suam
 nomine Laviniam, iamdudum Turno gyganti desponsatam, Enee daretur
 in sponsam. Tunc Eneas venit ad Latinum regem, quem Latinus honori-
 fice recepit. Et dicit Bedda quod Eneas donavit regi Latino coronam
 auream pyramidalem mirabilis pulcritudinis, quam Priamus portare con-
 sueverat. Et rex Latinus dedit ei uxorem Laviniam filiam suam et CCC
 iugera donavit, et secum pari potestate regnare fecit et in regem coro-
 navit. Ex tunc Eneas rex Laurentum appellari cepit. Eusebius dicit et
refert Vicentius quod Eneas cepit regnare anno tertio post Troye destruc-
 tionem, vel secundum alios anno VIII. Istius Enee generatio talis est: quia
 Tros rex Troyanorum genuit Ylium et Assaricum; Ylius genuit Laume-
 dontam patrem Priami; Assaricus genuit Capim, qui Dampnem, qui
 Anchisem. Hic Anchises ex Venere Iuniore uxore sua genuit Eneam et

filiam que dicta est Roma. Eneas genuit Aschanium et Lavinium et sic deinceps, sicut in subiecta patet figura.

[Figura 38] // (f. 244r)

[Figura 39]

213. DE PUGNA INTER ENEAM ET TURNUM

Turnus rex provintie Etrurie, cuius capud est civitas Prenestrina, audito quod Lavinia sponsa sua tradita fuerat Enee troyano, egre ferens advenam sibi esse prelatum in matrimonio Lavinie et quod regina Amata propter hoc pre dolore mortua fuerit, eo quod Turnum dilligeret, cogitavit sponsam suam recuperare. Et parans exercitum convocavit Mesenzium regem Thuscie Superioris, que postea dicta est Liguria, cuius capud est Mediolanum, qui venit cum Lauso filio suo. Et venit similiter alter Mesenzius qui habitabat trans Tyberim, qui supervixit Enee. Et secundum Eutropium convocavit Camillam reginam Amanzonum et potentiam fere universe Ytalie sive Thuscie Superioris et provintie Etrurie, que nunc dicitur Thuscia. Et vocavit secundum Eutropium Dyomedem regem Apullie qui respondit: «Non venio: nam cum nuper essem in obsidione Troye, audivi quod si in Troye fuissent duo Enee et duo Hectores Troya numquam superata fuisset».

Ex altera parte Eneas contra Turnum // (f. 244v) arma clamitavit; et fuit cum eo Latinus rex sacer eius cum tota potentia sua, et Pallas Gygas filius Evandri regis VII montium; et omnes Troyani qui per Ytaliam fuerant dispersi ad ipsum venerunt. Et comissa est pugna fortis valde. Et prima atie Turnus Gygas conflixit cum rege Latino et interfecit ipsum, et pugnavit contra Pallantem Gygantem et lanceam lateri eius infixit, et habuit plaga quatuor pedes cum dimidio. Tunc iratus Eneas singulare duellum petiit cum Turno Gyante, et confligentibus utrisque Eneas prostravit Turnum. Et dirigens aties suas contra Camillam reginam Amanzonum ipsam interfecit. Et dicit Servius in Comento super Virgilium quod Aschanius filius Enee singulari duello superavit Mesenzium

213 - 15. Troya : quod Troya B

et Lausum filium eius interfecit. Et tunc Aschanius dictus est Iullius a prima barbe lanugine que ei tempore victorie nasci videbatur. Unde Virgilius ait:

30 At puer Aschanius cui cognomen Iullo erat
Iullius additur.

Ex quo patet quod fuit trinominus, quia dictus est Aschanius, Ylius et Iullius. Et peracta hac victoria rex Eneas totum regnum Laurentum hereditavit, ubi secundum Agustinum tribus annis solus regnavit et multis civitates condidit, ut infra dicetur. Et invadens regnum Etrurie, quod fuerat Turni Gygantis, ipsum optinuit. Et dicit Cronica Leucipi quod regnum Campanie invasit et omnia superavit et se ipsum coronam condam Priami super tria regna coronavit. Et dicit Tytuslivius quod fama Enee regis crevit per totam Ytalia longitudinem ab Alpibus usque ad mare Sicilie. Et dicit Cronica Leucipi quod Aschanius Aschanium Iuniorum filium suum coronavit in regem super totam Campaniam, ubi regnavit annis CLXXXII. Et cum regnasset Eneas in Ytalia in universo annis VII et venisset ad flumen Numiculum, secundum Tytumlivium ibi mortuus est; et fuit relatus inter deos, et Iupiter Indigetus est appellatus. Mortuo Enea, Lavinia regina uxor eius pregnans erat, et post aliquod tempus peperit filium qui dictus est, secundum Sycardum, Lavinius Silvius Postumus: Lavinius fuit nomen proprium, dictus est Silvius quia in silva fuit natus, dictus est Postumus quia post mortem patris natus. Deinde regina Lavinia Iunior secundum Gothofredum Viterbiensem nupsit Menlapodi, ut testantur cronice, et genuit filium qui dictus est Silvius, a quo reges Albanorum et Latinorum emissis priscis nominibus dicti sunt Silvii, sicut postea omnes Cesaris successores dicti sunt Cesares. De isto Silvio auctores multum discrepant: et dicunt aliqui quod fuit Lavinius filius Enee, aliqui dicunt quod fuit filius Menlapodis. Eneas rex Campanie et Laurentum et Etrurie in Ytalia plures condidit civitates; prima dicta est Troya, de qua supra dictum est, et iterum agrum in quo primo conscedit Troyam appellavit, sicut supra dictum est.

214. DE CIVITATE CUMIS ET DE INTERPRETATIONE NOMINIS

Secunda civitas dicta est Cume sive Cumas, que est sita iuxta mare. Nam cum de mari exiret veniens de Troya, quendam mulierem pregnantem invenerunt in ripa maris, et propter hoc auguriati sunt prolis et victorie gloriam. Unde civitatem ibi construxerunt quam Cumas vocaverunt a kymaton, quod est unda, quia undis maris agi- // (f. 245r) -tatur. Solinus dicit quod Eubonenses, id est Greci, condiderunt civitatem Cumas ubi est sacellum, id est templum, Sibille prophetisse que dicitur Sibilla Cumana. Est etiam in Lombardia civitas dicta Cume iuxta Mediolanum. Et quidam dicunt quod Cume in ripa maris sita est in illo loco ubi Eneas primo habitavit, quod dicitur Troya. Ex quo apparet quod Cume et Troya idem sunt, non intelligendo de illa Troya que fuit constructa in Agro Laurentum.

215. DE CIVITATE SCILATIUM

Tertia civitas dicta est Scillatium. Unde dicit Cassiodorus in Epistola ad Maximum canzellarium Luchanie et Brutiorum: «Scillatum prima Brutiorum urbium est quam Eneas Troye destructor legitur condidisse». Est enim situata in collibus super sinum maris Adriatici et pendet ex collibus in modum botrionis in pede montis. Ibi est fons dictus Fons Are-tusie, ubi si quis fortiter locutus fuerit, aqua statim turgescit et in modum olle aque bulientis salit, et quasi vocem humanam emittens respondere videatur, et credatur ibidem homo sopitus consurgere a sompno et balbutiendo aliquas voces exprimere. Hoc etiam dicit Seneca in libro De Consolatione. Est aliis fons in Alisina regione secundum Solinum eiusdem condictionis.

216. DE CIVITATE LAVINIO

Quarta civitas secundum Ysidorum dicitur Lavinium, quam Eneas Troyanus post Troye excidium in Ytalia condidit ex nomine Lavinie uxoris sue, que fuit regis Latini filia. Et Solinus ait introducens Coschonium quod constructum fuit post Troye excidium anno quarto, et

215 - 6. botrionis : botrionibus *B* 216 - 2. Ysidorum : Ydidum *B* (*cfr Etym. XV I 52*)

secundum Miletum et Yeronimum anno nativitatis Habraee VIII^CXXX-VII, ante Christi nativitatem MCLX.

217. DE CIVITATE GAYETA

Quinta civitas dicta est Gayeta. Ubi est sciendum quod Gayeta fuit nutrix Enee et cum ipso intravit Ytaliam; que mortua fuit in ripa maris, et in ipso loco Eneas civitatem condidit quam ex suo nomine nutricis Gayetam appellavit. Hec Solinus. Ex his que dicta sunt colligitur quod rex Eneas in Ytalia condidit VII civitates, scilicet Corciram, Melinam, Troyam, Cumas, Scilatium, Lavinium et Gayetam. Alibi dicitur quod Eneas in Ytalia condidit civitatem Cererem et populum Latinum instituit, a quo populi Ytalici dicti sunt Eneyci, id est ab Enea instituti.

218. DE CIVITATE MISCENA

Eneas rex habuit tybicinem qui dictus est Misenus, qui condidit in Sicilia civitatem quam ex suo nomine Missenam appellavit. Sed Macrobius dicit quod Ansialaus Missinus de Mesina urbe, Gretia ortus, Reginorum tyrampnus, in Sicilia condidit Messinam urbem. Et utraque potuit esse, quia unus eam construxit, alius rehedicavit vel amplificavit.

219. DE CIVITATE ROMA

Roma, ex Troyanis mulier nobilissima, de Troye exiens venit in Ytaliam cum magno navigio et iuxta mare civitatem condidit quam ex suo nomine Romam appellavit. Unde // (f. 245v) dicit Solinus: Heraclidi placet quod Troya capta quosdam ex Achivis, id est Grecis, in ea loca ubi nunc est Roma devenisse per Tyberim. Deinde suadente Roma muliere nobilissima captivarum, que his comes erat, incensis navibus posuisse sedes, instruxisse menia et opidum ex eius nomine Roma fuisse denominatum. Unde dicit Salustius: «Urbem Romam, sicuti ego accepi, condiderunt atque habuerunt in initio Troyani et cum his aborigines, id est hii qui prius illa loca habitabant». Et auctor diligentissimus Varro dicit quod ab aliis traditur quod proprium nomen Rome, et verum magis, numquam per vulgus scitum fuit. Unde ceremoniarum archanei

219 - 13. numquam : quod numquam *B*

ordinaverunt quod nullus sub pena mortis illud nomen publicaret; quod cum Vallerius Saronus contrarium fecisset interfectus fuit. Et Solinus ait
 15 quod ibi erat parvum templum ubi erat statua tenens digitum super os et silentium cunctis indicebat. Et Servius ait quod istius urbis verum nomen nemo etiam in sacris enuntiavit. Et dicit Varro quod quidam tribunus plebis illud nomen publicavit; propter quod in cruce elevatus fuit. Quale fuit hoc nomen, auctores non exprimunt. Constat enim ex supradictis quod civitas Roma primo fuit dicta civitas Camescena; deinde Hercules Argivus in eodem loco condidit civitatem quam Valleriam nominavit; postea Saturnius Saturniam; et Evander arcem quam Pallatum nominavit; postea Roma condidit Romam; et finaliter Romulus omnes supradictas civitates sub uno muro conclusit. Et illam civitatem ex suo nomine, secundum Sycardum, Romuleam appellavit,
 20 que nunc reasumpto antiquo nomine dicitur Roma.
 25

220. DE CIVITATE PALURMIO

Palurmus fuit gubernator et custos pueritie Enee, qui civitatem condidit et ex suo nomine Pallurmium nominavit. Hoc testantur cronice similiter et Solinus.

221. DE CIVITATE TARENTO ET ARPOS

Diomedes, unus ex principibus Grecorum qui interfuit obsidioni Troye, duas condidit in Ytalia civitates, scilicet Beneventum et civitatem Arpos. Unde dicit Karinus in Cronicis quod Dyomedes per naufragium detentus construxit civitatem quam nominavit Arpos, et ab ista civitate secundum Papiam populi Ytalici dicti sunt Arpi. Et fuerunt cum Dyomede principe nobilissimo duo populi, scilicet Esculi, qui condiderunt Brunduxium, et populi Brutii, qui condiderunt Aprutium. Et <de> istis duabus civitatibus nobis dicendum evenit.
 5

222. DE CIVITATE BRUNDUXIO

[Brunduxium] Secundum Iustinum, Esculi populi sub nobilissimo ac clarissimo duce Dyomede post Troye destructionem condiderunt in

220 - 3. Pallurmium : Palluvirum *B* 221 - 8. de *supplevi* 222 - 2. Brunduxium *seclusi quasi adnotationem e margine in textum insertam*

Appulia civitatem Brunduxium. Et dicitur Brundixium secundum Ysidorum a ‘burda’, quod est capud cervi. Habet enim in suo sytu modum et figuram quasi capud cervi. Tandem Apuli expullerunt populos Esculos de Brunduxio, quibus dii dixerunt ut locum quem repetissent perpetuo possiderent.

223. DE CIVITATE ABDERAS QUE ET CLAZOMENA

// (f. 246r) Diomedis soror nomine Abderas in regione Marronia civitatem condidit quam ex suo nomine Abderam appellavit. Ibi natus est Democritus philosophus et medicus. Ibi primo inventus est modus cum remibus navigare. Destructa fuit ista civitas olympiade XXXI, quam Clazomeni populi ex Asia profecti propter nobille nomen scientie rehedicaverunt et Clazomeniam vocaverunt. Est ibi iuxta quendam oppidum dictum Thuridum, quod fuit stabulum equorum Dyomedis.

224. SOCII ENEE CONDIDERUNT MULTAS CIVITATES IN YTALIA

Sicardus episcopus Cremonensis dicit in Cronicis quod socii Enee, de Troya exeuntes et in Ytaliam venientes, condiderunt civitatem Adres, a qua Adriacum mare nomen accepit, et Aquilegiam et Concordiam et Autynopolim et Paduam et Veronam, a quadam nobili muliere Troyana dicta Verona denominatam. Item Gardesanam et Odenercum, item Altinam, quod et Equilum nominatur. Item Auxolim et Trevisum et Mantuam, Cremonam, Placentiam, Crisopolim, Freydelinam, Vecla, Vercellas et alias civitates et municipia multa quarum cives et populi ab Enea dicti sunt populi Eneytici. Carinus in Cronicis dicit quod socii Enee condiderunt in Ytalia has civitates: quia Emillus Troyanus condidit Emiliam, que toti provintie nomen dedit; Pentapolus condidit civitatem Pentapolim, mire magnitudinis et admirabilis operis, que toti provintie nomen dedit; nobilis mulier dicta Verona condidit Veronam; item Placentulus Placentiam; populi dicti Dolopes Anchonam; rex Cohius incoluit Ianuam; Accestes Siciliam; Venetus princeps Pamphalogum construxit Castellum Venetum, unde civitas Venetiarum dicitur Castellum et episcopus dicitur episcopus de Castella; Equillus Aquilegiam; Perusius

6. figuram : fuguram B 224 - 5. Autynopolim, recte Antinopolim *iuxta Sichardi Cronica (ms. Clm 314, f. 18v)*

Perusium; Feronianus Feronianum; Brixius Brixiam; Anthenor Paduam;
 Capuus Capuam; Salernus Salernum; Blandius Brunduxium; Perusius
 Perusium; Pissus Pissas. Alii socii Enee eentes ultra montes con-
 struxerunt has civitates: quia Gallus Troyanus condidit Galliam; Franchus
 filius Hectoris Franchoniam; item Parides Troyanus condidit Parisius;
 Magantius Magantiam; Collonus Colloniam. Alii sotii Enee eentes in
 provintiam Provintie condiderunt has civitates, scilicet Nerbonus Ner-
 bonam; Tholosius Tholosiam; Catholus Catheloniam; Leridus Leridam;
 Branchus Barchinonam; Seragotius Seragoziam; Tholetus Tholetum;
 Segogius Segogiam; Ellamachus Ellamacham. Item Priamus Iunior, filius
 sororis regis Priami, in Ungaria construxit Zagambriam ex matris
 nomine. Et Cronica Tholomei episcopi de Torsello dicit quod Anglus
 Troyanus condidit Engleriam, Barrus Barri, Belfortis Belforth, Seleucus
 Leuchum, Brionius Brianziam, Marthus Marthum, Parazius Parazum,
 Burgarus Burgaram. Et iste ultime civitates obsiderunt civitatem Medio-
 lanensem anno ab eius prima fundatione VII^CXL.

225. CONCORDANTIA PREDICTORUM ET DECLARATIO CONTRA DUBIA

Ut autem ex his que dicta sunt nullus incidat in errorem, utendum
 est distinc- // (f. 246v) -tionibus. Quia isti principes supradicti genere
 Troyani, vel ex his qui erant in auxilium Troyanorum, qui condiderunt
 supradictas LX civitates, non eodem tempore fundaverunt, nec eodem
 tempore in Ytaliam intraverunt. Ubi est sciendum quod Troya fuit
 destructa bis in LX annis, et post ultimam destructionem superata fuit.
 Et istis tribus vicibus multi de Troya intraverunt Ytaliam. Prima destruc-
 tio facta fuit tempore Laomedonte regis Troye, patris Priami, quam
 fecerunt Hercules, Iason, Thelamon; de qua destructione habetur supra,
eodem libro capitulo <<...>>. Et tunc fuerunt constructe civitates
 Cremona, Placentia, Brixia, Parma et alie civitates de quibus ibi habetur
 per ordinem. Alia destructio facta fuit tempore Priami, et tunc exiverunt
 multi cum Enea. Et tunc constructa fuit Verona, Trivisium et cetere ci-
 vitates de quibus fatiunt mentionem supradicti auctores. Filii Hectoris,
 tempore Hely sacerdotis, post ultimam Troye destructionem anno
 XXXV vel id circa, invaserunt Troyam et expullerunt inde Anthenorem

regem Troye, qui navigio intravit Ytalam secundum Iustum cum CCC^M virorum. Et tunc constructa fuit Padua, Capua, Salernum, Brunduxium, Aquilegia, Castellum sive Venetia et plures alie. Deinde intraverunt Ytalam et perrexerunt in Allamaniam Franchus, Parides, Gallus et plures alii. Nec fuit post Troyam constructa Mantua, ut dicit Sycardus, ymo ante Troye destructionem, statim post Thebanorum ruinam. Et sic fuit de multis aliis civitatibus que longe ante Troye destructionem fundate fuerunt, ut supra dictum est. Item est advertendum quod aliqua civitates antique, vel propter antiquitatem vel per hostiles inpugnations erant destructe. Unde per Troyanos principes fuerunt aut rehedificate, aut de novo amplificate, aut novis nominibus appellate. Et ideo dicuntur: «Talis princeps vel talis fundavit talem civitatem, id est renovavit». In tam ambiguis et diversis modis loquendi, nos procedemus secundum tempora, quia secundum auctores dicent aliquam fuisse prius fundatam, de illa primo dicemus: primo subponentes quod civitas Mediolanensis erat fundata sub hoc nomine Subria per annos VII^CXL; similiter Ianua ante Troye destructionem erat fundata sub hoc nomine Genua, similiter Ianua; item Cremona, Placentia, Parma, Mantua, Brixia, Alba Pedemontis sub hoc nomine Troya, Ianua, Vercela, Novaria et Lunum.

226. ORDO OMINUM CIVITATUM ANTIQUARUM IN YTALIA

Post Troye famosam destructionem, constructe sunt per Eneam et socios eius XII civitates. Ex quibus in Ytalia fundate sunt Roma, Lavinium, Gayeta, Troya, Cume in ripa maris, Palurmus, Beneventum, Arpos, Brunduxium, Aprutium, de quibus omnibus supra dictum est per ordinem. Item notandum est quod longe ante Troye destructionem primam aut secundam constructe sunt in Ytalia, et precipue in partibus circa Romam et Thusciam, multe civitates, scilicet Perusium, Pissa, Fesula, Faslischus Nova Vellana, Regium, Tarquina, Gaulonea, Therim, Anarizia, Fidena, Arizium, Cortona, Tarentum, Saprenium, Beneventum, Arpos, Tybur, Tyburti, Turrina, Parnepos id est Neapolim, Pestus et Genua, // (f. 247r) de quibus omnibus supra dictum est libro tertio, capitulo

<<...>>. Item ante istas civitates constructa erat Cameses id est Roma, Ianiculum, Noecha id est Sabina, Ardea, Ravana et Subria id est Mediolanum. Item est notandum quod, sicut nunc servatur in Allamania quod quelibet terra murata sive communita dicitur civitas, ita erat antiquitus; unde in terretorio Mediolanensi fuerunt innumere civitates, scilicet Modoetia, Canturium, Trivilium, Viglevanum et alie multe que sunt murate vel fuerunt murate.

227. DE SANSONE IUDICE Iudeorum

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXLI, mundi anno II^MVIII^CXV-III, ab egressu de Egipto secundum Eusebium CCCXXXVI, post conditum Mediolanum VII^CXLI, Sanson vir fortissimus iudicavit Israel annis XX. Cum enim mortuo Abdon Iudei peccassent coram Domino, iusto Dei iuditio traditi sunt in servitutem Palestinianorum sive Philistinorum ut eis servirent tributa XL annis. Qui clamaverunt ad Dominum, et suscitavit eis Sansonem qui eos liberavit. Et ad intellectum istius ystorie secundum Yosephum quod fuit vir nomine Monoch sive Manuec de tribu Dan, habens uxorem nomine Anna que fuit pulcerrima mulierum sed sterilis. Eius vir erat de ipsa zeloptipus ultra modum. Cum autem Anna esset in agro apparuit ei angelus Domini, nuntians quod pareret filium qui esset nazareus, id est Deo consecratus, et non biberet nisi aquam et capillos non raderet, essetque fortissimus et deberet liberare Ysrael de manu Philistinorum sive Palestinianorum. Hic dictus est Sanson, qui secundum Sichardum tante fuit fortitudinis quod facta eius cum gestis Herculis compararentur. Ipse leonem interfecit, in cuius ore postea favum melis invenit. Unde problema proposuit: «De comedente exi-
vit cibus et de forti egressa est dulcedo». Vel sic, secundum Iosephum: «Qui cuncta vorat cibum genuit de semetipso suavem, licet ipse nimis sit insuavis». Deinde Philistinorum virginem desponsavit et proposito supradicto problemate pronubis solventibus ait: «Si non aravisetis in vitula mea non solvisetis propositionem meam». Unde irruit in eum Spiritus Sanctus Domini et percussit Philisteos. Et capiens CCC vulpes

226 - 13. Cameses, *recte* Camescena (*cfr CU III 142 et alibi*) 227 - 3. egressu : ingressu *B* 12. nuntians : nuntiant *B* 22. problemate : probamat *B*

25 eorum caudis alligavit faces accensas et combussit eorum segetes. Ipse captus a contribulibus cum ligatus funibus duceretur ad Philisteos vincula solvit et aripiens maxillam asini iacentem in terra in hostes invec-tus M interfecit. Et cum sitiret usque ad mortem, de maxila asini Dominus fontem produxit. Deinde in Gazam dispitiens Philisteos et ingressus ad meretricem Philistei insidias posuerunt. Quo comperto Sanson fugit et portas civitatis Gaze hora noctis media in sumitatem montis expor-tavit. Erat autem virtus fortitudinis in capillis eius. Et amans meretricem Dalilam apud Phylisteos manentem, ei dixit eo quod esset nazareus, tan-tam haberet fortitudinem. Ipsa hoc Philisteis propalavit, et ipso dormiente capillos eius rasit, et statim omnem fortitudinem perdidit; et Phylisteis tradidit, cui oculos eruerunt et clausum apud Gazam molere fecerunt. Tandem crescentibus capillis et fortitudo rediit. Et in quodam die festo in fano Dagan quod duabus columpnis sustentabatur, positus ut ei illuderetur, columpnas concussit et III^M hominum // (f. 247v) inter-fecit, inter quos et ipse mortuus est. Et dicit Augustinus in libro De Civi-tate Dei quod excusatur quod hoc fecit familiari consilio, Spiritus Sanc-ti inspiratus. Isto tempore secundum Sycardum et Iacobum de Voragine Troya capta fuit. Apud Nicenas Egistus regnavit, apud Athenas Demophoon. Et post Eneam in Ytalia regnavit Aschanus filius eius.

228. DE ASCHANIO YLIO IULIO REGE YTALIE

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CXLI^{IIII}^o, post Troye destructio-nem anno VII^o, ante Romam conditam CCCCXXVIII, ante Christi nativitatem MCLXXX, post conditum Mediolanum anno VII^CXLI^{IIII}, Aschanus Ylius Iullius, filius Enée ex Creusa filia Priami, post mortem Enée regnavit in regno Laurentum annis XXXVIII, vel secundum Euse-bium annis XXXIII.

5 De isto Aschanio dicit Tytuslivius quod post conditam urbem Lavi-niam ipse construxit civitatem que dicitur Albania sive Alba Longa. Et dicit Eutropius quod hic Aschanus monitus fuit in sompnis, dum cog-i-taret novam civitatem condere, quod ubi inveniret sub arbore ylice suem albam habentem XXX porcellos albos, ibi civitatem conderet; quo

10 26. cum : et B 42. Iacobum : Iacobus B 228 - 11. ubi : ibi B 13. in quodam bis scriptum in B

eventu ibi condidit in quodam monte longo, et dicta est Alba propter suis albedinem, et dicta est Longa propter collis longitudinem. In hac civitate capud regni sui posuit, quod dictum est regnum Albanorum. Et dicit Iustinus ex Trocho quod istud regnum duravit annis CCC; sed Tytuslivius dicit annis CCCC, et tunc regnabat Tullus Romanorum rex. Hic Aschanius Ylius Iullius, Enee regis primogenitus, per patrem suum fuit in regem Campanie coronatus. Cui cessit in premium iure prelii regnum Thuscie Superioris, quod nunc dicitur planum Lombardie, quia Mesenzium ipsorum regem et Lausum eius filium in pretio subiugaverat, ut supra dictum est. Mortuo patre suo Enea, successit ei in regno Laurentum et regnavit in istis tribus regnis, scilicet Laurentum, Campanie et Thuscie Superioris, annis fere XXXVIII. Et anno etatis sue LX construxit civitatem Campaniam ut dictum est, ubi regni capud posuit, et rex Albanorum dictus fuit. Tunc fratri suo qui dictus est Lavinus Silvius Postumus, facto annorum fere XL, regnum Laurentum ei tradidit. Et regnaverunt ambo filii regis Enee, alter in regno Laurentum, alter in regno Campanie, Superioris Thuscie et Albanie.

Et ut clarius generationes istorum duorum regum elucescat, est sciendum quod Lavinus Silvius Postumus filius Enee secundogenitus, rex Laurentum, genuit filium qui dictus est Latinus Eneas Silvius rex Laurentum, qui genuit Latinum Silvium regem Laurentum, sicut in supraposita patet figura. Item Aschanius Ylius Iullius rex Campanie et Superioris Thuscie et Albanie, primogenitus Enee, genuit V filios. Primus dictus est Latinus Eneas Creusius ex nomine avie sue que dicta fuit Creusia, filia Priami, a quo cuncti eius successores dicti sunt Creusii, ut dicit Karinus in Cronicis. Et iste successit patri in regno Albanorum; cui succedit Latinus Silvius Creusius in regno Albanorum; cui successit Alba Silvius Creusius in regno Albanorum. Secundogenitus dictus est Iullius, de cuius stirpe descendit familia Iulliorum, // (f. 248r) de qua natus est Iullius Cesar primus imperator Romanorum. Tertiogenitus dictus est Anglus, qui civitatem Engleriam construxit in comitatu Mediolani, de quo descenderunt comites Englerie et Vicecomites de Mediolano et illi de Flescho de Ianua et illi de Columpna de Roma. Quartogenitus dictus est Silvius: hic secundum Gayfredum in Ystoria Anglicana regnavit in regno Campanie, et iste furtive nupsit nepti Lavinie et genuit filium

qui dictus est Brutus sive Butes, qui factus annorum XV patrem interfecit, et post regnavit in insula Alboym, qua ex suo nomine vocavit Britaniam, que nunc dicitur Anglia. Cui successit in regno Anglie Locrinus filius eius, ut infra dicetur. Expulso isto Buto de regno Campanie, regnavit Roma Iunior soror eius. Quintogenitus dictus est Aschanius Iunior, qui successit patri in regno Thuscie Superioris, id est Lombardie plane; et regnavit secundum Karinum annis CLXXXII. Cui successit in regno Lombardie Iullius filius eius, qui confederatus est Pucentio regi Sychambriensium, ut infra dicetur.

229. DE ULIXE ET CYRCE MAGA

Tempore Sansonis, secundum Sychardum, regnante in regno Albano-rum et Laurentum rege Aschanio filio Enee, Ulixes ut tradit Faletus in libro De Incredibilibus in trieri Cyrenorum Sillam fugit. Ubi est scendum quod Ulixes post Troye destructionem in multas incidit pestilenti-as, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Tandem per-venit ad insulam Sicilie, et inde transiens ad insulam Eloy invenit quod ibi erat regina quedam mulier dicta Cyrce, maga mirabilis, de qua di-cit Varro quod hospites suos consueverat spoliare. Ipsa sotios Ulixis con-vertit in bestias; et Ulixem diligens de ipso genuit filium qui dictus est Thelegonus, qui Ulixem interfecit. Fuitque cum Ulike filius eius dictus Auxonius, et unus ex Ulixis sotii dictus est Siculus. Hic Siculus in insu-la Trinacria castrum construxit quod ex suo nomine Castrum Siculum nominavit, a quo tota insula dicta est Sicilia. Auxonius filius Ulixis in Terra Laboris habitavit, ubi civitatem condidit quam ex suo nomine Auxoniam appellavit, que toti provintie nomen suum accommodavit.

230. DE CIVITATE THUSCULANA ET DE SYRENIS

Thelegonus, Ulixis et Cyrce mage filius, condidit urbem quam nomi-navit Thusculanum anno secundum Miletum nativitatis Habraee VIII^CXXXVII, ante Christi nativitatem MCLIII. Et Papias dicit: «Thus-culum sive Thusculanum civitas conditum est non longe a Roma». Eius episcopus est cardinalis Rome. Tempore quoque Sansonis, sicut dicit

229 - 4. Cyrenorum, recte Syrenorum (*cfr Petr. Comest. Iud. 20*) 12. sotii : sotius
B 13. suo : sui B 230 - 3. Miletum : Miletus B

Phaletus in libro De Incredibilibus et refert Magister in Ystoriis, syrenes, mulieres que navigantes decipiebant, extiterunt.

231. DE ORIGINE SYCAMBRIENSIVM; ET QUID SIT MAIOR DOMUS FRANCHORVM

Temporibus Sansonis et Aschanii regis Albanorum, regnum Sychambriensivm exortum est secundum Gothofredum // (f. 248v) Viterbiensem. Ubi est sciendum quod ex sorore Priami dicta Sichambria natus est filius qui dictus est Priamus Iunior. Hic post Troye destructionem cum matre sua Sychambria et magno navigio per mare multo tempore navigans, pervenit ad partes que sunt inter fines Asye et Europe, que dicte sunt Meotides paludes; ubi cum Gothis qui terram illam habitant durissime conflixit ac eos inde expulit. Ubi civitatem construxit quam ex nomine matris Sychambriam nominavit, que fuit capud regni et fere domina totius Europe. Hic secundum Gothofrydum Viterbiensem intraverunt Ytaliam et pervenerunt Mediolanum, et amicitias cum Mediolanensibus fecerunt tempore Ioas regis Israel, anno ante Romam conditam CXXXV, et totam Lombardiam auxilio Mediolanensium destruxerunt. Post Troye destructionem annis MLX, Priamus superavit Germaniam, ubi factus est rex Germanorum. Quo mortuo, Marchomedes filius eius regnavit pro eo, qui genuit Faramundum regem Germanie, cui successit Crinicus filius eius, cui successit Gildibertus filius eius, qui duxit uxorem nomine Bisinam, que genuit Mironeum regem Germanie, qui genuit alium Mironeum, qui genuit Yliricum, qui genuit Glodoneum, qui superavit Gothos et Allamanos. Hic fuit primus qui fuit christianus; in cuius baptimate columba de celo detullit oleum quo fuit inunctus, de quo oleo omnes reges Franchorum inunguntur.

Tempore Christi, scilicet anno eius VII^CLI, in regno Franchorum Magantie facta est una dignitas que dicta est ‘maior domus’, sicut dicitur ‘mereschalchus’, et ibat per successionem sicut et regnum. Et statutum fuit quod rex nichil iuris haberet nisi salutationem ad hospites, et ille qui erat maior domus omnem regni iurisdictionem et potestatem haberet quam reges habere consueverunt. Et primus qui fuit maior

231 - 28. quod : quod ut *B*

domus dictus est Arnulfus, qui descenderat de quodam Franchone macelario, sicut habetur in libro De Proprietatibus Rerum ubi agitur de Franchia. Hic Arnulfus genuit filium qui dictus est Anschisius, quem instituit maiorem domus Franchorum: ipse autem factus est episcopus Metensis. Hic Anschisius genuit Pipinum Grossum qui per concubinatum genuit Karulum Martellum, qui genuit Pipinum Nanum, qui ex maiore domus Franchorum factus est rex Franchorum. Pipinus Nanus ex Berta Grandis Pede, filia regis Ungarie, genuit Karulum Magnum primum imperatorem, qui genuit Lodovicum Pium, qui Lotharium, qui Karulum, qui Karulum, qui Arnulfum. Et tunc linea regalis Karuli Magni defecit.

232. DE SCITHIA INFERIORE ET DE ORTU GOTHORUM

Quia facta est mentio de Sychambriis, Germanis et Gallis, antequam ulterius procedamus de istis provintiis aliquid est dicendum. Ubi est sciendum quod Magog, filius Iapheth et abyaticus Noe, intravit Europam, et iuxta Meothides paludes in finibus Asye et Europe super mare Occeanum habitavit. Et dicta est illa provintia Scithia Inferior sive Schitia Barbarica, et habet ex una parte mare Occeanum, ex alia // (f. 249r) parte Danubium, et extenditur a Meothidis paludibus usque ad Germaniam. In ista Scithia Inferiori habitaverunt populi dicti Gothi, secundum Ysidorum, a Magog filio Yapheth; et sunt Gothi idem quod Gethe. Hii postmodum divisi sunt in duo regna, scilicet Visgothorum et Ostrogothorum, de quibus supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.

233. DE PROVINTIA PANONIA ET DE ATHILLA ET LONGOMBARDIS

In Ulteriori Scithia, ultra Meothides paludes, est Panonia Maior. Et dicit Orosius quod populi dicti Hynni, ex incubis et meritricibus procreati, cervam magnam pro duce habentes, eius vestigia per longa terrarum spatia insequentes, intraverunt Panoniam et expulsis incollis, sicut narrat Herothus, terram illam appellaverunt Ungariam. Ex his populis natus est Athilla, magnus mundi tyrampus, in cuius sigillo sic erat scriptum: «Atylla rex Hunorum, metus orbis, amator belli, flagellum Dei». Hic Ytaliam conculcavit et civitatem Mediolanensem destruxit. Hanc

Ungariam possiderunt populi dicti Vinuli sive Longombardi, ex quibus natus est Albuinus magnus mundi tyrampnus, qui Ytaliam pressit et Lombardiam nominavit. 10

234. DE CIVITATE VERONA

Post Troye secundam destructionem, iudicante Sansone populum Iudeorum, regnante Aschanio Ylio Iullio in Ytalia in regno Albanorum et Laurentum secundum Sychardum, quedam nobilis mulier dicta Verona exiens de Troya intravit Ytaliam et super fluvium dictum Arthesis civitatem condidit quam ex suo nomine Veronam appellavit. Hanc destructam rehedicaverunt Galli Celtici anno post conditam Urbem CXL, anno ante Christi nativitatem V^CLXXXII. Gothofredus Viterbiensis dicit quod Breno eam innovavit et appellavit Veroma, quasi diceret: «O Roma, ve tibi!», quod melius est intelligendum de quodam castro quod est in Marchia Anchonitana, quod dicitur Veromanum. De nomine istius civitatis habentur duo versus, in quibus eius antiquitas demonstratur:

Ve: vere surgens. Ro: rotas per circuitum. Na:
nam antiqua urbs est vocata Verona.

15

In hac fuit constructum quoddam mirabile hedifitium dictum arena, anno imperii Octaviani XXXVIII, anno tertio ante Christi nativitatem. Et dicit Benzius in Cronicis quod istud hedifitium fuit quoddam lamberintum. Primus eius episcopus dictus est sanctus Zeno, qui ibi fuit ordinatus anno post Christi nativitatem CCCXXII. In hac civitate dominati sunt comites Sancti Bonifatii. Deinde ibidem mortuus dolo uxoris Albuynus primus rex Longombardorum. Hic floruit Catulus philosophus. Unde illud monsticon:

20

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catulo.

234 - 3. Iudeorum : -orum scriptum in margine in B ~ Iullio scriptum in margine in B 18. quoddam : quodam B

235. DE GARDESANA CIVITATE ET DE LACU DE GARDESANA

Troyani secundum Sychardum post Veronam construxerunt Cardesanam. Ubi est sciendum quod in Ytalia in provintia Venetie est quidam lacus dictus Benachus sive lacus Cardesane a civitate sive Garda dictus, in quo nascuntur pisces dicti // (f. 249v) carpiliones. Hic lacus est ita magnus quod tempestates inmitatur marinas; de quo oritur fluvius dictus Menzius.

236. DE CIVITATE AQUILEGIA SIVE FORUM IULLII

Secundum Karinum in Cronicis, quidam rex de Troya pulsus dictus Equillus intravit Ytaliam et in ripa maris Adriaci civitatem construxit quam ex suo nomine Aquilegiam appellavit, vel secundum Magistrum in Ystoriis dicitur Aquilegia quasi ‘aquis ligata’. In hac Iullius Cesar forum posuit, unde dicta est Forum Iullii, unde usque hodie dicitur Frior. Hic beatus Marchus evangelista Evangelium scripsit. Habet patriarcham cum XV sufraganeis. Et dicit Ystoria Longombarda quod Albuy-nus, quando intravit Ytaliam, venit Aquilegiam et ibi posuit rectorem anno Christi V^CLXVIII. Hanc Athilla rex Hunorum destruxit anno Christi CCCCLV. Nunc mari elongato perdidit portum, menia ruerunt et pauci habitant in ipsa.

237. DE CIVITATE VENETIARUM ET DE DUCE EIUS

Secundum Karinum in Cronicis, quidam rex Troyanorum dictus Venetus intravit Ytaliam et in corde maris Adriaci civitatem construxit quam ex suo nomine Venetiam appellavit. Habet enim ista civitas, secundum Cassiodorum in Epistulis, pro pavimento mare, pro tecto celum, pro pariete sive muro aquas maris. Hanc mare nunc ingreditur, nunc regreditur semel in die. Hic requiescit corpus beati Marchi evangeliste. Eius dominus temporalis se intytulat ducem Venetiarum et Dalmatie et Cloatiae.

235 - 2. Sychardum : Sychardus *B* 3. in² : est *B* 4. dictus : dicto *B* 236 - 9. ven-it : quod venit *B*

238. DE PROVINTIA VENETIARUM

Venetia provintia, sicut habetur ex libro De Ymagine Mundi, quidam rex dictus Benetus incoluit et ex suo nomine Benetiam appellavit, que nunc dicitur Venetia sive Marchia Trivisina, cuius capud est Aquilegia. Huic provintie coniungitur Hystria. Et dicit Ystoria Longombarda quod ambe provintie computantur pro una. Incipit autem a finibus Panonie et terminatur in fluvio Abdua, et continet civitates Benetiam, Veronam, Montemsilicis, Mantuam, lacum Benachum cum Gardesana, et Pergamum. Unde dicit Ystoria Longombarda quod capud Venetiarum est civitas Pergamensis, id est situata in fine provintie Venetiarum.

5

10

239. DE PROVINTIA HYSTRIA ET FLUVIO DANUBIO

Hystria provintia coniuncta est cum provintia Venetiarum, ut dictum est. Ubi est sciendum quod fuerunt quidam populi dicti Hystrii, qui missi fuerunt ad persequendos argonautas qui vellus aureum exportabant. Qui venientes cum magno navigio per mare, et cum descenderunt de mari, intrantes per quandam fluvium, ipsum Hystrum ex suo nomine appellaverunt. Ipse est Danubius.

5

240. DE CIVITATE PADUA

Padua sive Pactavium conditur in Ytalia. Ubi est sciendum quod destruct- // (f. 250r) -ta Troya propter Enee et Anthenoris proditiones, Anthenor factus fuit rex in Ylio sive Troya. Propter quod invidens Eneas congregato magno exercitu de Frigia Troyam invasit. Cui rex Anthenor portas civitatis clausit. Tunc Eneas intravit Ytalam et rex Anthenor regnum Troye tenuit. Sed filii Hectoris congregantes navigium et magnum exercitum Troyam invaserunt, et regem Anthenorem cum filiis inde expulerunt et regnum Troye optinuerunt. Tunc rex Anthenor navigio intravit Ytalam, habens secum CCC^M virorum armatorum, anno nativitatis Habraee VIII^CXXXVII, secundum Miletum sive Ieronimum, anno ante Christi nativitatem MCLX. Ubi nota quod quidam rex Panflagonie dictus Phylemon cum multitudine populorum, qui dicti

5

10

238 - 3. Benetus *B^{a.c.}* : Venetus *B^{p.c.}* 239 - 4. persequendos : prosequendos *B*
5. et cum, *sic B* 240 - 4. Troya : Trotroya *B*

sunt Veneti, adjuncti Anthenori regi, per sinum maris Adriaci intraverunt
 15 Ytaliam. Et dicit Tytuslivius quod expulerunt populos dictos Euganes
 qui habitabant inter mare et Alpes. Tunc Veneti et Troyani in primo loco
 ubi steterunt condiderunt civitatem quam appellaverunt Troyam, et isti
 duo populi dicti sunt Veneti. Rex autem Anthenor condidit civitatem
 20 quam appellavit Pactavium sive Paduam. Unde dicit Solinus quod
 Anthenor condidit Pactavium, et concordat Senecha. De ista civitate
secundum Solinum et Senecam natus est Tytuslivius ystoriographus eximius. In hac est sepultus Anthenor; unde versus:

Hic iacet Anthenor, Paduane conditor urbis.
 Proditor ipse fuit; hii secuntur eum.

241. DE CIVITATE EMILIA

Quidam princeps ex Troyanis nomine Emilius in Ytalia condidit civitatem quam ex suo nomine, secundum Karinum in Cronicis, appellavit
 5 Emiliam, cuius ruine ostenduntur super Mutinam; que toti provintie
 nomen dedit, que nunc dicitur provintia Emilia. Hec est sytuata inter
 Alpes Apeninas et Padum, et incipit a Placentia per riperiam Padi longo
 tractu, et continet Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam et Cornelii
 Forum, cuius castrum dictum est Ymola, secundum cronicas antiquas. Et
 10 refert Benzius: «Capud istius provintie est Tycinum sive Papia»; et dicitur capud ratione situs, quia est in capite, sicut de Pergamo dictum est.

242. DE CIVITATE PENTHAPOLI SIVE ROMANDIOLA PROVINTIA

Alter princeps Troyanus dictus Penthapolus, secundum Karinum in Cronicis et concordat Benzius, construxit quandam civitatem quam ex suo nomine appellavit Penthapolim. Et fuit civitas mirabilis pulcritudinis et magnitudinis, que toti provintie nomen dedit; que dicta est provintia Penthapolis, que postea dicta est Flaminea. Et est posita inter mare Adriacum et montes Alpeninos, et continet Ravenam et quinque alias civitates. Nunc autem comuni nomine dicitur Romandiola, et continet Faventiam, Fornipopulum, Cesenam et cetera.

243. DE CASTRO DE VIGIEVANO; ET QUOD TROYANI OBSIDERUNT
MEDIOLANUM

Item Troyani secundum Sychardum construxerunt // (f. 250v) Vecula, id est Vigivinum, sic dictum quia opus est multa vigilia habitantibus in ipsa contra predones. Est autem situm in ripa Tycini fluminis, muro fortissimo circundatum et urbi Mediolanensi subiectum. Ubi est secundum quod Eneas in Ytalia circa partes ubi nunc est Roma condidit civitatem que dicta est Troya. Et Anthenor versus partes ubi nunc est Venetia aliam civitatem condidit quam Troyam similiter nuncupavit. Et concorditer Troyani conceperunt subiugare totam Ytaliam dominio Troyanorum. Cum autem in Ytalia nulla civitas Troyanis contradiceret excepto Mediolano, congregatis undique exercitibus, sicut dicit Phtolemeus episcopus de Torsello in Cronicis, civitatem Mediolanum usque ad portas obsiderunt. Quam videntes fortissimam a remotis per modum obsidionis septem construxerunt civitates. Nam Anglus filius Aschanii regis Laurentum et Albanorum, qui fuit nepos sive abyaticus Enee Troyani, qui principalis in isto bello fuit, condidit civitatem quam secundum Karinum in Cronicis appellavit ex suo nomine Angleriam. Et de ista obsidione habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>.

244. DE CIVITATE ENGLERIA IN TERRETORIO MEDIOLANI

Engleriam civitatem Anglus Troyanus construxit in ripa super lacum Maiorem, in distantia ab urbe Mediolani miliaribus XL. Fuit autem civitas fortissima, cuius ruine et ecclexie sive templa dirupta apparent in agris. Ars civitatis sive rocha adhuc stat, que cingitur lacu ab Occidente et Austro; a Borea est collis, et est murata muro alto valde. Unde versus secundum Stephanardum:

Engleria vicina laci munitur et arcis
prescidium. Lygures hec quam tenuere coloni,
urbs antiqua fuit antiquis dirupta bellis,
ipsa redacta solo, paucō contenta colono,
nobilitatis habens prisce vestigia servat

delubra que reficit prope menia sparsa per agros.
Hostibus est ullis vix expugnabile castrum.

15 De isto Anglo rege Englerie nati sunt reges Englerie.
Deinde secundum Stephanardum in Cronicis ista civitas condam dic-
ta fuit Stationa. Ubi post multas intermedias generationes nati sunt
reges; et ex his qui inveniuntur nominati propriis nominibus, primus
dictus est rex Maximianus et nomen ultimi dictus est rex Millo. Hic rex
20 Millo genuit tres filios quorum nomina sunt hec: Alionus, qui privatus
corona regali in adventu Longobardorum, factus fuit dux Mediolani,
sicut habetur in Ystoria Lombarda. Secundus dictus est Milonus Iunior.
Tertius dictus est Rolandus, qui fortitudine non fuit inferior Rolando
nepote Karuli Magni. Unde in predicto castro Englerie est quidam
25 puteus qui dicitur puteus Rolandi.

245. GENERATIO COMITUM ENGLERIE ET VICECOMITUM ET ILLORUM DE FLESCO

Alionus dux Mediolanensis et comes Englerie, filius regis Milonis,
genuit tres filios quorum nomina sunt hec: Galvagnus, Cosmas et
5 Andreas. De altero istorum natus est Perideus // (*f. 251r*) virorum for-
tissimus, qui factus est rex Mediolanensis et recuperavit nobilitatem
regalem maiorum suorum. Et dicit Cronica Comitum Englerie quod de
istis comitibus seu regibus natus est Astulfus, qui pugnavit contra Pi-
pinum Nanum; de quo natus est rex Desiderius qui pugnavit contra
10 Karulum Magnum, qui postea privatus regno Longobardorum fuit. Et
genuit Bernardum et Aldechisium, qui perdidit visum in venatione apri
in monte de Givate. Item genuit filiam que dicta est Gisla.

Theodora filia regis Astulfi et soror regis Desiderii data fuit in uxo-
rem Karulo Magno fratri Karuli Magni imperatoris, et genuit filium
15 cum quo fugit in Lombardiam mortuo viro suo, et in monte de Barri
ex oposito Leuci se recepit, ubi Karulus Magnus imperator obsedit, sicut
dicetur infra.

Item de Bernardo comite Englerie, filio regis Desiderii, natus est
comes Guido, qui genuit comitem Athonem, qui genuit Berengarium

imperatorem, qui genuit Ugonem imperatorem, qui genuit Fulchum comitem Englerie, qui genuit Obizum qui construxit monasterium de Arona, qui genuit comitem Fatium, qui genuit Heriprandum Vicecomitem, de quo dicit Cronica Datii quod fuit miles milenarius regaliter natus; de quo natus est Galvagnus comes Englerie, quem Federicus Barba Rubea interfecit. Et tunc finita fuit domus comitum Englerie, quorum successores dicti sunt Vicecomites, ut infra dicetur in locis suis.

20

25

246. DE PARENTELLIS VICECOMITUM DE MEDIOLANO

Item sciendum est quod de ista domo comitum sive regum Englerie, que dicta est Stationa, nati sunt illi de Columpna; qui Romam pergentes facti sunt incliti, et fuerunt ex eis multi summi pontifices. Item nati sunt illi de Flescho de Ianua, de quibus prodierunt multi sumi pontifices. Item descenderunt Vicecomites de Mediolano, de quibus natus est Otto Vicecomes archiepiscopus Mediolanensis. Et quia non habetur expresse quo tempore iste parentelle processerunt una ex alia, ideo ordine magis confuso quam debito in subiecta arbore ponam originem ipsorum. Et ponam primo regem Anglum, qui primus; postea intermissis multis generationibus ponam eorum stipites sive radices.

5

10

[Figura 40a, b, c] // (f. 252r)

247. DE CIVITATE BELFORTH IN TERRETORIO MEDIOLANI

Secundus princeps Troyanus qui obsedit Mediolanum dictus est Belfortis. Hic iuxta terram de Varisio construxit terram sive civitatem, quam ex suo nomine vocavit Belforth; quam destructam Federicus Barbaruba rehedicavit in odium Mediolanensium, quam postea Mediolanenses destruxerunt. Et iterum nunc Vercelinus Vicecomes ipsam instauravit. Et de isto Belforth Troyano principe // (f. 252v) multi nobiles descenderunt quorum nomina non habentur.

5

248. DE CIVITATE BARRI IN TERRETORIO DE MEDIOLANO

Tertius princeps Troyanus qui obsedit Mediolanum dictus est Barrius, qui in monte pyneato et acuto iuxta Givate civitatem construxit quam

247 - 3. terram² : *an turrim correndum?*

ex suo nomine Civitatem de Barri appellavit. Hanc incolluit Desiderius
5 rex Longobardorum; ad hanc confugit regina Theodora soror regis
Desiderii cum filio parvulo quem genuerat ex Karulo Magno fratre
Karuli Magni imperatoris. Hanc imperator Karulus Magnus obsedit
multis annis. Et in circuitu omnes civitates Lombardie construxerunt
10 ecclexias secundum nomen patronum suarum civitatum, ut Perga-
menses ecclexiam Sancti Alexandri, Vercellenses ecclexiam Sancti Euse-
bii, et sic de aliis sicut usque hodie appetet. Finaliter Karulus imperator
civitatem cepit, quam funditus evertit, nec umquam rehedicata fuit.

249. DE CIVITATE BRIANZIA IN TERRETORIO MEDIOLANI

Quartus princeps qui obsedit Mediolanum dictus <est> Brianzius,
qui in quodam monticulo civitatem construxit quam ex suo nomine
Brianziam nominavit; que monti nomen suum accommodavit, qui dicitur
5 Mons Brianzie, ubi generantur castanee insignes que dicuntur marrones.
Inde multi nobiles comites orti sunt, et cathanei, et valvassores, quorum
nomina non habentur.

250. DE CIVITATE LEUCO

Quintus princeps Troyanus qui obsedit Mediolanum dictus est Seu-
leucus, qui in ripa Abdue construxit civitatem quam ex suo nomine
Seuleucam appellavit, que nunc dicitur Leucum, que flumini et omni-
bus partibus circumstantibus nomen suum accommodavit, quia omnes
5 terre vicine dicte sunt Riperia Leuci. Hic Cesar Magnus horea
Romanorum posuit, et sepius ibidem fuit cum de Roma transiret ad
domandam Galiam. Hec terra Mediolano est subiecta.

251. DE CIVITATE MARTHO; ET QUATUOR PARENTELLIS

Sextus princeps Troyanus qui obsedit Mediolanum dictus est Mar-
thus, qui in quodam monticulo civitatem construxit quam ex suo nomi-
ne Marthum appellavit; que toti contrate nomen dedit, que dicitur Mar-
5 thesana usque in presentem diem.

249 - 2. est *supplevi* 250 - 5. circumstantibus : circumstatibus *B* 8. Mediolano :
Mediolani *B*

Hinc exorti sunt, secundum Cronicam Pauli Marri, quatuor fratres carnales.

De primo nati sunt marchiones qui dicti sunt marchiones de Castro Martho; ex quibus unus natus fuit qui factus est marchio de Hest, unde prodierunt marchiones de Hest qui civitatis Ferariensis optinuerunt dominium. Inter quos fuit Azo marchio nobilissimus qui genuit Reginaldum, qui genuit Obyzum, qui genuit Azum et Oldevandrinum et Francischum et filiam que dicta est Beatrix, que fuit mater Azi Vicecomitis de Mediolano.

De secundo fratre nati sunt comites Sancti Bonifatii, qui in civitate Veronensi longo tempore fuerunt dominati.

De tertio nati sunt illi qui in Roma dicti sunt Frigiipenates sive Franzpa; ex quibus unus fuit beatus Gregorius papa et doctor ecclexie.

De quarto nati sunt illi // (*f. 253r*) de Sorexina de Mediolano et eorum agnati, scilicet illi de Beverate, ex quibus fuit beatus Simplitianus archiepiscopus Mediolanensis, et illi de .O. et illi de Sexto, sicut in subiecta patet figura.

[Figura 4I]

252. DE CIVITATE BURGARA IN TERRETORIO MEDIOLANI

Septimus princeps Troyanus qui obsedit Mediolanum dictus est Burgarus, qui in ripa Tycini civitatem construxit quam ex suo nomine Burgaram nominavit, que toti contrate nomen dedit, que dicta est Burgaria. Et hinc multi nobiles prodierunt quorum nomina non habentur.

5

253. DE CIVITATE PARAZO ET DE INSULA FULCHERIA

Octavus princeps Troyanus qui obsedit Mediolanum dictus est Pallanzus, qui iuxta locum ubi est Crema civitatem construxit quam ex suo nomine Parazum appellavit; que fuit civitas nobilis valde unde nati sunt comites de Curte Nova et comites de Camisano. Hec propter heresim fuit destructa et numquam rehedicata. De cuius terretorio civitas

5

Mediolanensis habet insulam Fulcheriam, sicut // (*f. 253v*) in subiecta patet figura.

[Figura 42]

254. VERSUS CONTINENTES YSTORIAM SUPRADICTAM

Hii VIII principes Troyanorum, sicut dicit Cronica Ptholomei epis-
copi, civitatem Mediolanensem superare cupientes ipsam usque ad
muros obsiderunt. Quam expugnare non valentes, predictas VIII civi-
tates in circuitu per modum obsidionis errexerunt; quam nec sic supe-
reare potuerunt. Unde versus secundum auctorem:

Post Troyane bellum Belforth Engleria Leucum
Barri Brianza Marthumque Burgara bella
gerunt et obsident; Paranzii iurgia movent.
Hii Troyani duplo cinixerunt menia vallo.

Hec omnia supradicta habentur ex dictis Ptholomei episcopi, Pauli
Marri, Leucipi et Danielis in Cronica Comitum Englerie.

255. DE CASTRO SEPRII TERRETORII MEDIOLANENSI

Eodem tempore Castrum Seprii comunitum fuit; sed quis eum erexe-
rit aut quo nomine vocatum fuerit non habetur. Sed constat ipsum fuis-
se antiquissimum, eo quod nomen civitatis Mediolanensis, quod fuit
Subria, adhuc retineat, quia dicitur Seprium sive Subrium. Hoc castrum
sua antiquitate diruptum, Theodolina Longombardorum regina instau-
ravit; quod postmodum tribus suis consanguineis fratribus germanis
donavit, qui et ipsi de Bavaria venerant, quorum nomina sunt hec, scili-
cet Martigonius, Comes et Rubeus. Ex hiis descenderunt Comites de
Bardi dyocessis Placentine. Horum generatio in subiecta patet figura.

[Figura 43]

256. DE HELY SACERDOTE, IUDICE Iudeorum; ET QUOD ARCHA FUIT CAPTA

Habraee sive etatis tertie anno VIII^CLXI, mundi anno II^MVIII^CLVIII, exitus Egipti CCCLVI, post conditum Mediolanum anno VII^CLXI, Hely sacerdos iudicavit Israel annis XX secundum librum Peralipomenon; et additis XX annis quibus post mortem Sanson nullus fuerat iudex, dicitur quod iudicavit Israel annis XL.

Hunc quidam dixerunt fuisse Finees filium Eleazari, sed verius dicitur quod fuit filius sive ex filiis Ythamar, qui factus iudex sacerdotium in se ipsum transtullit. Hic genuit duos filios, scilicet Ophyn et Finees, qui sacrificia devorabant et mulieres excubantes ad ostium tabernaculi oprimebant. Et dicit Iosephus quod eorum vita nichil diferebat a pessima tyrampnide.

Accidit quod Phylistei sive Palestini in quodam congressu interficerent III^M Iudeorum. Duo filii Hely tunc exiverunt, scilicet Ophyn et Finees, cum archa Domini; et comisso prelio iterum ex Iudeis perierunt XXX^M et duo filii Hely sacerdotis interfici sunt. Quo audito Hely mortuus corruit, cum iudicasset Ysrael annis XL. Archa Domini ducta fuit in Azotum; ad cuius presentiam ydolum Dagon coruit, cuius manus et caput super lymen tabernaculi, ut dicit Magister, iacuerunt abscisse a troncho; propter quod Palestini usque hodie non calcant lymen. Et facta est disinteria magna in populo; et missa fuit archa ad Aschalonitas, et facta est similis disinteria; deinde ducta fuit in Chariatherarim in domo Aminadab levite. Postea Samuel transtulit eam in Maspheath, postea Saul et Samuel in Galgala, postea Saul in Nobe, inde in Gaba. Postea David transtulit in domum Nobeth, deinde in Syon. Postea Salomon in templo. Deinde secundum Magistrum Ieremias abscondit in petra hanc archam.

257. DE LAVINIO SILVIO POSTUMO REGE YTALIE

Isto tempore secundum Sycardum, scilicet anno Hely sacerdotis XX, Lavinius Silvius Postumus, Enee et Lavinie filius qui natus fuit post Enee mortem, regnavit apud Latinos annis XXVIII. Cepit autem regnare secundum Eusebium ante Christi nativitatem MCXLII, ante Romam 5

CCCCVIII, post Troye destructionem anno XLVI, et mortuus est anno regni sui XXVIII, anno post Troye destructionem LXXIII, // (f. 254r) ante Christi nativitatem anno MLXXXVIII.

De isto Silvio Postumo sunt diversi modi dicendi: quia Augustinus et Sychardus dicunt quod fuit filius Enee; Tytuslivius dicit quod fuit filius Aschanii Ylii Iulii filii Enee; Gothofredus Viterbiensis dicit quod fuit filius Menlapodis, cui Lavinia nupsit post mortem Enee. Est oppinio Tytilivii comunior, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Est ergo sic dicendum, quod post mortem Aschanii Ylii Iulii quatuor eius filii in quatuor regnis dyademata sibi imposuerunt, quia Lavinius Silvius Postumus fuit rex in regno Laurentum, quod fuerat Latini avi sui, Aschanius Iunior tenuit regnum Lombardie, Silvius regnum Campanie, Anglus tenuit Engleriam. Quere supra, eodem libro capitulo <<...>>. Ab isto Lavinio Silvio Postumo omnes reges successores eius dicti sunt Silvii, sicut postea per longa tempora Cesares dicti sunt qui regnaverunt post Cesarem.

Isto tempore, secundum Benzium in Cronicis, Amanzonus et Chymeniorum incursus factus est. Item secundum Ysidorum Omerus claruit, et regnum Lacedemonum exoritur; sed verius creditur quod tempore regis Saulis. Quere ibi.

258. GENERATIO PRIAMI RECUPERAVIT TROYAM

Isto tempore secundum Sycardum filii Hectoris recuperaverunt Troyam sive Ylion, expulsis filiis Anthenoris, quorum primogenitus dictus est Polimades. Ubi est sciendum quod destructa Troya Anthenor regnavit ibidem, quem Eneas expellere voluit sed non potuit. Deinde in processu temporis secundum Vicentium in Speculo duo nepotes sive abyatici Priami, // (f. 254v) scilicet Franchus filius Hectoris et Turchus filius Troyli filii Priami, invaserunt Troyam. Sed Ystoria Troyana dicit quod Laomedonta primogenitus Hectoris et Helenus filius Priami, qui solus ex filiis Priami supervixerat Priamo patri, et alter Helenus filius Hectoris simul congregati fecerunt magnum exercitum et invaserunt civitatem Troyam et ipsam optinuerunt; ubi primo regnavit Helenus filius Hec-

toris, vel secundum quosdam Helenus filius Priami, et tenuerunt regnum Troyanum multis annis. Tunc Anthenor rex Troyanus ascendit naves, et fuerunt cum eo CCC^M virorum; et intravit Ytaliam et construxit civitatem quam Troyam nominavit, ut dictum est. Postea construxit civitatem quam nominavit Pactavium sive Paduam, ubi et mortuus est, sicut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.

259. ORIGO REGNI FRANCHORUM ET TURCHORUM; ET DE PROPRIETATIBUS TURCHORUM

Postquam regnum Troyanum devolutum fuit ad progeniem Priami, duo abyatici Priami sive nepotes, scilicet Turchus filius Troyli et Franchus filius Hectoris, duo regna constituerunt secundum Vicentium: quia Turchus instituit Turchos, et Franchus Franchos in Allamania, unde regnum Franchorum originem traxit.

Primo ergo dicamus de Turchis, postea de Franchis.

Secundum Brochardum in Libro de Descriptione Terre Sancte, Turchi sunt in Egipto, et sunt superiores Sarracenis, quia de ipsis prodierunt plures soldani sive imperatores Sarracenorum, et habent meliorem militem que sit in Egipto. Hii totam Siriam repleverunt, et habitant precipue circa fluenta Iordanis a Lybano usque ad desertum Pharan; vestiuntur pelizeis rubeis super camisiis; in capite portant panum lineum et capellum rubeum; habitant sub tentoriis factis de pelizeis et pellibus animalium; sunt amici fortune et adiuvant illos qui vincunt; sunt proditores maximi et latrones insignes. De istis natus fuit Bachometus; locuntur Sarracenicum et habent legem Bacometi. Hii dicuntur Turchomani et Medianite. In bello utuntur sagittis et lanzeis.

260. DE TROYA CIVITATE ALLAMANIE, ET FRANCHONIA, ET MAGANZIA

Secundum Thomam in Cronicis, post destructionem Troye plures ex Troyanis secuti sunt quasi ducem Franchonem filium Hectoris. Qui intrans in Alamaniam civitatem condidit quam Troyam appellavit; dein-

259 - 16. illos *bis scriptum in B* 19. Medianite : Ma/midianite *B (in duobus lineis)*
~ utuntur : utentur *B*

de aliam condidit urbem quam ex suo nomine Franchiam nominavit, a qua eius populi dicti sunt Franchi et provintia dicta est Franchonia.

Quidam sotius Franchi genere Troyanus dictus Mogus civitatem condidit quam ex suo nomine Maganziam appellavit. Et dicit Ystoria Lombarda quod in Maganzia fuit regnum Franchorum. Unde ibidem habetur quod Narsis patritius Vitalem, urbis Altine episcopum, qui fugerat ad regnum Franchorum id est Magontinum, cepit et apud Siciliam exilio dampnavit. Et Gothofredus Viterbiensis dicit quod civitas Magantia fuit inclita sedes regum Franchorum. Est autem Maganzia civitas metropolis, habens sub se XII suffraganeos, cuius presul habet vocem in electione imperatoris. Est autem sita in // (f. 255r) provintia Allamanie, ex quo connicitur quod Franchi sive Franchones idem sunt quod Allamani, ab Allamano fluvio sic dicta.

261. GENERATIO REGUM FRANCHORUM

Secundum Thomam in Cronicis, post Troye destructionem multi ex Troyanis in finibus Panonie iuxta Meothides paludes civitatem condiderunt quam Sychambriam nominaverunt, a qua et ipsi dicti sunt Sychambrii; de quibus supra dictum est libro eodem capitulo <<...>>.

Hii fuerunt vagi et instabiles super terram viventes gladio. Ipsorum generatio haberi complete non potuit, nec clare, a destructione Troye usque ad tempora Valentis imperatoris per annos MLX. Tempore Valentis imperatoris ceperunt habere super se duces, quorum primus dictus est Priamus, qui genuit Machomirum, qui genuit Faramundum regem. Hii ad petitionem Romanorum subiecerunt populos Alanos, et facti sunt liberi a tributo Romanorum annis X. Propter quod in superbiam elati iugum Romanorum spreverunt; et superaverunt Panoniam, Baveriam, Sueviam et Franchoniam, et fuit ipsorum sedes regalis civitas Magontina. Romani, timentes Saxonum incursiones, terras predictas Sychambriis sive Franchis confirmaverunt, et facta est amicitia magna inter Romanos et Sychambros sive Franchos.

Franchi super se assumebant reges non per hereditatem vel successionem, sed propter electionem; quorum XXI fuit Hyldericus, et maior domus tunc erat Pipinus Nanus. Ubi est sciendum, secundum quod di-

cit Eustatius in Cronicis, <quod> rex Franchorum domi habitabat, rationabiliter vivebat, in kallendas Maii procedebat coram tota gente, ad ius reddendum salutabat populum et salutabatur a populo. Et sic usque ad sequentem <<Medium>> fatiebat. Habebatque secum unum de maioribus domus Franchorum, cuius consilio fatiebat cuncta que pertinebant ad personam regis et populi. Finaliter regnum devolutum <est> ad Pipinum Nanum, et tunc cepit regnum Franchorum ire per successionem usque ad tempora Lodovici quinti, cui mereschalcus erat Ugo Zarpeta, comes Parisiensis. Karulus Grossus genuit filiam que dicta est Hermengrandis, quam dedit uxorem comiti Hayminensi. Postea ipse Karulus Grossus interfecit Lodovicum quintum; et tunc Ugo Zarpeta comes Parisiensis electus fuit in regem Franchorum, et sic linea Karuli Magni defecit et ad comites Parisienses transivit, ubi regnatum est per reges XIII. Postea Lodovicus huius nominis VII venit, qui duxit in uxorem quandam puellam natam de genere comitis Hayminensis supradicti, qui duxerat uxorem de domo Karuli Magni, ut dictum est. De ista puella et de Lodovico VII^o natus est beatus Lodovicus et Karulus primus rex Sicilie. Unde dicitur quod regnum Franchorum rediit ad progeniem Karuli Magni per lineam feminarum, et similiter ad reges Sicilie.

25

30

35

40

262. TURRIANI DE MEDIOLANO NATI SUNT DE DOMO FRANCHORUM
Secundum Marchum in Cronicis, quidam dictus Karulus regnabat in Parisius et fuit de domo Karuli Magni, qui genuit Lodovicum, // (f. 255v) qui duxit uxorem Hanidam sororem Ottonis imperatoris, et genuit duos filios, scilicet Albertum et Lodovicum. Albertus fuit dux Saxonie et Lodovicus fuit dux Viene et Burgondie et <habuit> totam terram dictam de la Turre. Et hinc nati sunt Turriani de Viena, qui modo sunt Dalfini, et Turriani de Castilione et Turriani de Mediolano.

5

Ubi est sciendum quod de domo Turrianorum Viene nati sunt duo nobilissimi iuvenes qui propter quoddam grave malefitium quod comi-

10

261 - 21. quod *supplevi* 24. post sequentem *spatium vacuum relictum* (7 fere litterarum) in B; Medium *supplevi* e *Thomae Tusci Chronica* (ms. Paris, BnF, lat. 6815) 27. est *supplevi* 262 - 6. habuit *supplevi*; cfr CM (ms. Ambr A.275.inf, f. 176r: genuit... Ludoicum... cui cessit in sortem terretorium de la Turre)

serant de terra sunt exbaniti. Qui per montem Brige intraverunt Ytaliam, quorum vexillum fuerunt duo lilia aurei coloris in campo azurino, quod erat derivatum a vexillo regis Franchorum, quemadmodum et genus. Et audientes quod in Valsasna erat quidam comes dictus Tazius cognominatus de Turrianis, omne nominis letati ad ipsum perrexerunt; quos honorifice suscepit et duas filias suas eis tradidit in uxores. Interfecto comite Tazio in Mediolano, successerunt in comitatu predicti duo iuvenes; de quibus per multas intermedias generationes natus fuit quidam dictus Martinus, qui fuit corpore giganteus. Et in quodam passagio ultramarino per Sarracenos captus, pro Christi fide multa tormenta et vulnera perpensus, finem sanctum sortitus est.

De isto Martino gyganteo natus est filius qui dictus est Iacobus. Hic Iacobus genuit tres filios quorum nomina sunt hec, scilicet Paganus, Iacobus, et Antimanus archiepiscopus, qui ex quadam moniali Sancte Margarite, que erat nata ex illis de Molteno, genuit sex filios, sicut dicitur in locis suis. De Iacobo nati sunt <duo> filii, scilicet Martinus Magnus et Filipes Magnus.

De Pagano maiore sive antiquiore, qui fuit primus dominus civitatis Mediolani, nati sunt quinque filii, quorum nomina sunt hec: Neapeleo sive Nappus, et Hermanus, Franciscus, Carneva, Raimondus, qui fuit patriarcha Aquilegiaensis, et Paganinus, qui fuit interfectus Vercellis.

De Antimano archiepiscopo nati sunt sex filii scilicet Aenus, Albertus <...>, sicut in subiecta patet figura.

[Figura 44] // (f. 256r)

[Figura 45]

// (f. 256v) 263. QUOD EST TRIPLEX GALIA; ET CIVITATE TREVERENSI, LUGDUNIO, BYTURICA

Tempore quoque Hely sacerdotis, Gallus princeps Troianus et Franchi supradicti sotius civitatem construxit quam ex suo nomine Galliam

12. quorum : quo *B* 15. cognominatus : cognominato *B* 26. duo *supplevi*
33. post Albertum *spatium vacuum relictum (2 linearum et dimidii) in B*

nuncupavit, que toti provintie nomen accommodavit. Est autem triplex Galia, scilicet Belgica, Lugdonensis et Aquitania, de quibus supra dictum est libro secundo capitulo LXIII et LXV et LXVI; Et quomodo iste Galie fuerunt similiter in Ytalia, item de hoc habetur libro tertio capitulo LXXI et LXXII ubi agitur de civitatibus Byturica, Lugduno, Focha, Senonis et Edua. De civitate Treveri habetur supra, libro secundo capitulo LXIII.

5

10

264. DE CIVITATE METHENSI, QUE DICTA FUIT MEDIOMATRICUM

In Gallia Belgica est civitas Metis, a Metio Romano qui ipsam subiugavit et ex suo nomine Metis nominavit; que prius dicta est Mediomaticum, id est posita in medium trium civitatum, scilicet Treveris, Verdunum et Tullum. In hac sunt multi usurarii; unde quidam ait conquerendo et miserendo eius peccatis:

5

VERSUS DE METIS

O Metis, metis aliena metens sine metis
Tartara dyra metis si non misere ani-metis!

265. DE CIVITATE PARISIENSI IN PROVINTIA GAUDIANA

Secundum Karinum in Cronicis, Parides sotius Galli Troyani construxit civitatem Parisius. Vel dicitur Parisius, id est par Ysis; ubi est sciendum quod in medio fluminis Sechane est sita civitas dicta Yseos, ab Ysis dee Egiptiorum, cui illa civitas fuit consecrata, que nunc dicitur Meldis. Et quia civitas Parisiensis similiter est syta in medio Sechane, dicitur par (id est equalis ratione situs) civitatis Ysis, que est Meldis. Vicentius in Speculo dicit quod aliquando dicta est Lutetia a luti fetore; quod nomen abhorrentes gentiles, nominaverunt Parisius ex nomine Alexandri Paridis, qui fuit vir Helene et filius Priami.

5

10

Istius civitatis fetorem abstulit Filipus huius nominis tertius Franchorum rex, qui ipsam marmoribus stravit anno Domini MCLXXIII. Gothofredus Viterbiensis dicit in Cronicis quod tempore Adriani imperatoris provintia Francigenarum dicebatur Gaudiana; nunc autem dicitur illa provintia Galia Celtica, ubi floret studium generale.

15

266. DE CIVITATE THURONIS, UBI DORMIT BEATUS MARTINUS

In Gallia quoque Celtica sive Lugdunensi est civitas dicta Thuronis, sic dicta quia Turnus, Corinei ducis filius, ibi fuit sepultus. Unde dicit Ausonius quod Britones, de Troya egressi sub principibus Bruto et Corineo, condiderunt super fluvium Lygerim civitatem Turonensem, ubi dormit beatus Martinus et ubi moneta dicta Turonensis cuditur. Fuit autem condita ante Romam annis CCLX, ante Christi nativitatem annis MXII.

5

267. DE CIVITATE THOLOSANA

In Gallia Aquitania constructa est civitas Tholosa, quam preter flu- // (*f. 257r*) -it fluvius Garina, et murus per maximus circuit; que toti provintie nomen dedit.

268. DE CIVITATE NARBONA

Secundum Karinum in Cronicis, alii sotii Enee Troyani, transactis Alpibus Appeninis, condiderunt multas civitates, ut dictum est supra capitulo CCLXV. Unde Narbonus construxit Narbonam. Unde dicitur Ysidorus quod Pictavii condiderunt Narbonam. Ieronimus sive Miletus dicit quod fuerunt Romani. Amonius dicit quod est in Aquitania. Ausonius dicit quod est in Gallia Togata. In hac beatus Paulus istituit primum episcopum, qui dictus est Paulus. De hac civitate multa scribit Auxonius, commendans eius portum, eius aerem et mercimonia.

5

269. DE ARELATO

In Gallia est civitas dicta Arelatum, quam preterfluit fluvius Rodanus; et habet pontem pulcherrimum et mercimonia multa. Et dicit Gothofredus Viterbiensis quod aliquando imperator coronabatur in ipsa, sicut postea in Modoetia.

5

270. DE VIENA

Secundum Martinum in Cronicis, Viena constructa est in Gallia, sic dicta <quod> per byenium fuit constructa; vel secundum aliquos per byenium obsessa fuit violenter superata. Anno Domini VII^CXXX Gre-

270 – 3. quod *supplevi*

gorius huius nominis tertius isti civitati dedit archiepiscopum.

5

271. DE BURDEGALLA

Burdegalla est civitas Gallie in Aquitania; et dicitur Burdegalla secundum Papiam quia Galli hunc burgum prius habuerunt. In hac natus est vir illustris Auxonius, qui composuit librum de cathologo urbium magnarum, qui fuit consul Romanorum et Burdegallensium. Unde ait:

5

Dilligo Burdegallam, Romam collo. Civis in illa, consul in ambabus, cune in Burdegalla, in Roma curilis sella.

272. DE TERRAGONA, TOLLETO, KARTAGINE SPARTARIA, CERAGUSTA, SAGUNTO, EMERITA, Ulixibona, YSPALI

In Ispانيا similiter diversis temporibus condite sunt multe civitates, scilicet Terragona, quam Scipiones condiderunt post Romam V^CXL. Deinde est Tolletum nigromantie studio fetidum. Postea Cesaraugusta, quam Cesar Agustus condidit. Deinde Carthago Spartaria, quam tempore Aniballis Afri condiderunt. Postea est civitas Saguntum, quam Gre- ci condiderunt ultra fluvium Hyberum fere pasibus M. Ibi est civitas Emerita, quam Julius Cesar condidit, ubi <misit> veteranos milites qui militia soluti dicti sunt emeriti, scilicet sine merito. Deinde est civitas Ulixisbona, quam Ulixes condidit, que terram a mari distinguit. Deinde est civitas Yspalis, sita super pallos in paludibus; ubi sedet Ysidorus dictus episcopus Yspalensis, cuius corpus auro ponderatum emit Aldefonsus Galitie rex et Tolletum transtulit.

5

10

273. QUOD ULTRA EQUINOCTIALEM EST HABITATIO // (f. 257v)

Secundum Iohannem cordelarium, plures alii ex princibibus Troyanorum, navigio zonam torridam pretereuntes, multas versus pollum artharticum condiderunt civitates. Sed quia multi negant ibi aliquos posse vivere, ideo, antequam de illis civitatibus aliquid dicatur, disputabitur utrum ibi aliquis possit vivere.

5

Sic ergo procedemus: quia primo determinabitur quod sub Equinociali habitant homines; secundo quod ultra Equinoctiale; tertio nominabuntur terre constructe ultra Equinoctiale.

274. QUOD OCCEANUS DIVIDIT TERRAM IN DUAS INSULAS

Queritur utrum ultra Equinoctiale circulum possit esse conveniens aut temperata habitatio. Et videtur quod non, quia sol existens in tropico Capricorni est in opposito Anguis, et tunc est multum propinquus terre, et per consequens calefacit vehementius illas partes quam nostras partes habitabiles. Unde Hay in quarto quadripartiti vocat illas partes ‘terre depopulatas’, id est esse sine populo. In contrarium est Macrobius super Sompnum Scipionis, qui dicit illas partes esse habitabiles.

Circa istam questionem est sciendum quod Occeanus cingit totam terram in modum circuli; insuper dividit terram in duas partes in modum duarum insularum. Et hoc confirmatur per dicta Macrobi super Sompnum Scipionis, ubi incipit tractare de Occeano et ait: «Non uno, sed gemino ambitu terre corpus omne circumflui; cuius verus et primus meatus est qui ab indocto hominum genere nescitur». Et infra: «Ceterum verior, ut ita dicam, eius alveus tenet zonam perustam, et tam ipse, qui Equinoctiale, quam sinus ex eo nati, qui orizontem circulum ambitu sue inflexionis immitantur, omnem terram quadrifariam dividunt et singulas, ut diximus supra, habitationis insulas dividunt et fatiunt. Nam inter nos et australes homines means ille per calidam totamque cingens, et rursus utriusque regionis extrema finibus suis ambiens, binas in superiori atque inferiori terre superficie insulas facit. Unde Tullius, hoc intelligere volens, non dixit: “Omnis terra quedam parva insula est”, sed dixit: “Omnis terra que collitur a nobis parva quedam est insula”, quia et singule de quatuor habitationibus parve quedam efficiuntur insule, Occeano ut diximus bis eas ambigente».

Et Adelardus Batoniensis phylosophus dicit quod per torridam medium zonam ferus fertur Occeanus.

Et liber qui appellatur Ymago mundi dicit quod pars Oceani que

274-16. qui (*iuxta Macr., Comm. in Somn. Scip. II 9,4*) : quam *B* 17. inmitantur : inmitatur *B* 24. efficiuntur *bis scriptum in B*

medium orbem dividit ideo semper calore fervet, quia viam solis super se habet.

Et Guliermus de Conchis (et refert Vicentius libro XVI) dicit et dicunt supradicti auctores, et Alfaganus capitulo VI^o dicit quod linea equinoctialis dividit superficiem terre in duas partes: versus Meridiem et versus Aquilonem. Sed Occeanus discurrit sub Equinoctiali, ut dictum est. Ideo Occeanus similem facit divisionem.

Ex hiis omnibus apparet quod Occeanus qui dividit terram per medium dicitur verus Occeanus et quod // (f. 258r) super istum Occeanum est vere et directe linea equinoctialis. De isto Oceano habetur in Ystoria Alexandri quod est tortuosum sicut draco. De autem Oceano qui circuit mundum dicit Macrobius quod habet indumenta rotunda.

Quod autem inter tropicum Cancri et Equinoctiale sit habitatio, manifeste apparet de provintia Arabie, quia Arabes habent quatuor umbras scilicet destras, sinistras, perpendiculares et septemptrionales. Et quando Arabes venerunt Romam in servitium Pompeii videbant umbras tantum esse sinistras. Unde ait Luchanus et habetur in Tractatu de Spera:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem.
Umbras mirati nemorum <non> ire sinistras.

Et Macrobius ait: partes nostre habitabiles, que vicine sunt perusto cingulo, calidores sunt et fere nunquam ymbres habent, ut Ethiopia, Arabia et Libia.

Et Phylosophus dicit (XXVI Particularia Problematum) quod ultra versiones estivas, id est tropicum Cancri, est provintia Libie.

Et idem Macrobius iterum ait quod inter tropicum Cancri et lineam equinoctialem sunt habitatores. Unde civitas Syene, que est provintie Thebaydos post superiorum montium deserta principium, sub estivo

33. superficiem : superficie *B* 40-41. indumenta rotunda : indumenti rotundi *B*
 44. perpendiculares, recte perpendicularares 45. Pompeii : Popeii *B* 49. non *supplevi iuxta Lucanum, BC III 248 et Iohannem de Sacrobosco, De sphaera, III 6* 50. habitabiles : habitabilis *B* 56. principium : principium est *B*

60 Cancri tropico constituta est, et habet supra se, in spatio stadiorum III^M-VIII^C, insulam dictam Meroe fluminis Nilli, ubi bis in anno assumitur umbra, sole existente in XII gradu Tauri et in gradu XIII Leonis; et super insulam Meroe per stadia VIII^C est terra que gignit cinamomum.

65 Et Solinus in Libro de Mirabilibus ait quod ab Occeani estu usque ad insulam Meroe sunt VI^CXX^M pasuum. Ultra Meroen super ortum solis sunt Ethiopes dicti Macrobii. Ibi sunt populi dicti Aete, qui latrones ligant catherinis aureis. Ibi est locus dictus Trapeza ubi homines pascuntur opyparo. In hac Etiopia coligitur cinamomum. Et in India super fluvium Yspersim in die solstitii assumitur umbra. Et apud Togoditas diebus XLV ante solsticium et totidem diebus post solsticium umbra penitus assumitur, et istis LXXXX diebus umbra ad meridiem iacitur.

70 Et dicit Imago mundi quod Trogodite non vident polum articum. Et Ymago mundi dicit quod preter circulos describentes climata sol versus Austrum facit duos circulos: unus vadit per insulam Meroen, Prolobaydam et maris Rubri urbem, ubi dies longior habet horas XII; alter circulus vadit per civitatem Syene, ubi dies habet horas XIII. Unde Luchanus, loquens de Syene quod sit sub tropico Cancri, sic ait:

Umbras numquam flectente Syene.

275. QUOD SUB LINEA EQUINOCTIALI EST HABITATIO

Sub torrida zona sive sub linea equinoctiali est habitatio temperata, precipue propter solis parvam moram qui non facit XII horas habitantibus sub ipsa.

5 Unde dicit Avicena primo Canonis quod sub Equinoctiali est equalitas ad iustitiam respectu aliorum climatum.

Et Abageni in comento secundi Almagesti dicit quod linea equinocialis est summe temperata, et hanc sententiam confirmat Albertus in Libro de natura locorum.

10 Et Iohannes Da- // (f. 258v) -mascenus in suis Amphorismis dicit quod sub equinoctiali sunt due yemes et due estates et arbores illius loci producunt fructus multos et homines habent subtilem memoriam.

62. Occeani : Occeano *B* 68. umbra : et totidem diebus umbra *B* 73. urbem : verbem *B* 275 - 7. Abageni, vel Abagem *B*

Et Hay in quarto Tripartiti ait quod habitantes sub Equinoctiali habent duas estates et duas yemes, et noctes et dies equales. Et homines ibidem habitantes non sunt nigri aut parvi sed boni coloris.

15

Et in Tractatu de Spera dicitur quod Etyopia est sub linea equinoctiali, ad quam extenditur pes Tauri, nec premitur aliqua alia regione. Unde Luchanus:

Ethiopumque solum qui non premetur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi poplite flexo
Ultima curvati precedere ungula Tauri. Et cetera.

20

Et hoc ipsum probatur per auctores qui tabulas composuerunt, quia ipsi ponunt civitatem Harim sub Equinoctiali directe in medio mundi, inter duos polos et inter Oriens et Occidens, cuius longitudo habet gradus LXXXX et eius latitudo est nulla.

25

Et secundum comunem opinionem doctorum, sub Equinoctiali ad Orientem est paradisus terrestris, omnium deliciarum possessor.

Et dicunt auctores quod sub Equinoctiali sunt montes altissimi ubi sunt habitationes temperate, ratione ventorum aut umbrarum montium, aut ratione hedifitorum mirabilis grositie, aut ratione cavernarum subterranearum in valibus. Sunt etiam sub Equinoctiali multe insule valde temperate, vel ratione fluminum, vel ratione nemorum, vel ratione ventorum, vel propter alias alias causas nobis ignotas. Et pari ratione sub pollo Artico vel circa sunt habitationes non obstante frigore permaximo valde temperate, in tantum quod homines ibi mori non possunt, sicut patet de Ybernia; et hoc evenit propter alias alias causas nobis occultas. Et de hoc expresse loquitur Marchus Paulus dicens quod est quoddam desertum magnum per XL dietas ubi nichil nascitur, nec granum, nec vinum; homines vivunt de venationibus avium et animalium et equitant cervos. Postea versus Tramontanam est mare Occeanum, ubi sunt insule multe in quibus nascuntur falcones peregrini et gyrfalchi in maxima quantitate. Et iste insule sunt tantum versus Tramontanam quod stella

30

35

40

19. qui, recte quod (*Lucan. BC III 253*) 20. poplite : polpite *B* ~ *flexo*, *recte* lapsso (*Lucan. BC III 254*) 21. precedere, *recte* precederet (*Lucan. BC III 255*)
24. inter : in *B*

Tramontana remanet a tergo versus Meridiem. Et dicunt marinarii qui conversantur in mari Datie et Norvegye quod ultra Norvegiā versus Tramontanā est Yslandia. Et inde est insula dicta Grolandia, ubi Tramontana stat a tergo versus Meridiem, ubi unus episcopus dominatur. Ibi non est granum nec vinum nec fructus, sed vivunt de lacte et carnisbus et piscibus; habent domos subterraneas in quibus habitant, nec audent clamare vel aliquem rumorem facere ne bestie eos audirent et devorarent; ibi sunt ursi albi magni nimis qui natant per mare et naufragos ad litus conducunt; ubi nascuntur faltones albi magni volatus qui mittuntur ad imperatorem Tartarorum de Kata.

Inde versus Occidens est terra quedam que dicitur Marckalada, ubi gygantes habitant et sunt hedifitia habentia lapides saxeos tam grandes quod nullus homo posset in hedifitio collocare nisi essent gygantes maximi. Ibi sunt arbores virides et animalia et // (f. 259r) aves multe nimis. Nec umquam fuit aliquis marinarius qui de ista terra nec de eius condictionibus aliquid scire potuerit pro certo.

Ex his omnibus apparet quod sub pollo Artico est habitatio.
Solinus de mirabilibus mundi dicit libro primo quod Scithia inferior habet terras locupletes, affluentes auro et argento et gemmis, que omnia custodiuntur a griffis. Et Vicentius in Speculo, ubi tractat de provintiis Asie, dicit quod Scithia, que habet ab occasu mare Caspium, habet gentes multas et longe lateque vagantes propter terre sterilitatem; ideo plerique ex ipsis vivunt carnibus humanis et sanguine. Hec provintia in plerisque locis habundat auro et gemis, sed illuc accessus hominum est rarus propter grifforum inmanitatem. Et subdit Solinus quod inter Scithie populos est gens dicta Dytheron et gens dicta Masarimasperi, qui habent unum oculum in medio frontis. Hii pugnant contra griffos et coligunt lapidem qui dictus est gynardus. Ibi etiam nascuntur cristalli.

Ultra populos Arimasperos et Ripheum iugum, transacto pollo Artico, inveniuntur populi dicti Ptherofon. Ultra hos in Europa sunt populi dicti Yperborei, qui habent sex mensibus diem continuum et sex mensibus noctem continuam. Ibi sunt aure salubres, non inquietantur infirmitatibus, diutissime vivunt. Et quando piget eos vivere fatiunt convivia solempnia, postea condescendunt altam rupem et in mari se ipsos precipi-

65. sanguine : sanguinem *B*

tant. Et dicuntur gens beata, quia ad innocentiam est omnibus equale votum.

Et liber qui dicitur Ymago mundi ait quod insula Tyle habet maximas arbores que numquam solea deponunt; in qua sex mensibus estivis est unus dies continuus, et sex mensibus hybernis est una nox continua. 80

Ultra hanc insulam versus Aquilonem est mare congelatum et frigus perpetuum. Et Solinus dicit quod gens Ptherofron supradicta continuis nivibus est obsessa, gens dampnata et a natura rerum in nubem eterne nubiginis conversa, que non novit vicissitudinem temporum, scilicet 85 hyemis et estatis, nec de celo aliquid accipit nisi hyemem sempiternam.

276. QUOD ULTRA EQUINOCTIALEM EST HABITATIO TEMPERATA

Nunc restat videre propositum, scilicet utrum ultra Equinoctialem sit habitatio temperata, quod determinat Ptholomeus in Libro de Spera qui est introductorius Almagesti, qui dicit quod sub dupli tropico Cancri et Capricorni sunt due Ethiope. 5

Et Ysidorus dicit quod sunt due Ethiope citra Equinoctialem, una in Oriente, alia in Occidente in Mauritania; et extra tres partes mundi, scilicet Asiam, Africam et Europam, est quarta pars mundi ultra Oceanum interius versus Meridiem, que solis ardore nobis est incognita, ubi antipedes esse noscuntur. 10

Et Vicentius libro XVI, ubi agitur de circulis spere, ait quod in zona temperata que est versus Austrum aliqui ponunt locum refrigerii, aliqui ponunt paradixum deliciarum, aliqui ponunt antipedes.

Et in libro qui dicitur Ymago Mundi habetur quod in India sunt loca dicta Asicia, ubi non sunt umbre et Septentrio ibi non videtur. 15

Et in libro Hariz de longitudinibus et latitudinibus civitatum habetur // (f. 259v) quod ultra Equinoctialem sunt due civitates, scilicet Delehyth et Bayora, quarum quelibet habet latitudinis tres gradus sed differunt in longitudine, quia Delehyth habet longitudinis CXXII gradus et Bayora habet CXXV. 20

Et Macrobius dicit quod populi habitantes ultra Equinoctialem Anceos dicti sunt.

79. qui dicitur : condicitur *B* 276 - 3. determinat : determinant *B* 8. est : et *B*

Et Iohannes Cordalarius in epistola sua scribit quod ultra Equinoctialem per gradus VIII est terra temperata et habitabilis.

25 Et Albumazar in Libro Dyalogorum ad Zadam dicit quod ultra Equinoctialem est terra dicta terra Zingorum, ubi appetet stella magna ut sacus.

30 Et Marchus Paulus, qui Indie provintiam peragravit, dicit quod vidit alium pollum, et quod noster pollus defuit; et pervenit ad terram unde portatur lignum aloë et camphora, et sunt ibi homines magni et ferores, comptas faties habentes, qui comedunt alias homines. Insuper sunt ibi arietes magni valde, habentes lanas grossas et duras; et est ibi maximus estus.

35 Et Liber de ymagine mundi dicit quod Canopus sydus est Egipci preclarum qui a nobis minime videtur, sicut nec a Trogoditis iuxta Egipatum non videtur polus septemtrionalis.

Et Plinius dicit quod in insula Taprobane Conopos sydus lucet clarum et amplissimum in tantum quod lucet in die.

277. QUOD SUB POLLO ARTICO EST CONVENIENS HABITATIO

De habitationibus ultra Equinoctialem expresse loquitur Marchus Paulus, et concordat frater Odoricus. Dicunt enim quod <in> insula dicta Iava non videtur Tramontana, et per consequens illa insula est ultra Equinoctialem. Et procedendo ulterius in ipsa insula versus meridiem, nec videtur Tramontana nec stelle que sunt ad magistrum. Inde per Tramontana navigando per CL miliaria invenitur insula Angaman que est ultra Equinoctialem. De insula Angaman per ponent navigando per M miliaria invenitur ultra Equinoctialem insula de Scilan. Hinc per ponent navigando per LX miliaria [invenitur ultra Equinoctialem et] pervenitur ad Indiam Maiorem ultra Equinoctialem ad provintiam del Maabar. Hinc navigando per Tramontana per M miliaria invenitur provintia de Murfuli. Inde sequitur provintia de Maaban, ubi est corpus beati Thome apostoli. Hinc eundo per ponent invenitur provintia dicta Lar, ubi sunt Bragmanes phylosophy. Inde versus Garbin per V^C miliaria invenitur terra dicta Colium. Inde venitur ad provintiam dictam Camari, ubi

29. defuit : ei fuit *B* 277 - 3. in *supplevi* 8. ponent : ponente *B* 10. invenitur... et *seclusi quasi bis scriptum*

videtur Tramontana alta super terram per unum brachium. In provintia de Melibar appareat Tramontana alta super terram duobus brachiis. In provintia de Cosurach appareat Tramontana alta super terram brachiis VI. In Libro de Longitudine et Latitudine Civitatum habetur quod insula dicta Ayzafur habet longitudinis graduum CLXXII et latitudinis graduum VI. Et de hac insula dicit Marchus Paulus <<...>>.

20

In mappa Ianuensi ponitur India; superius ponitur sepulcrum beati Thome apostoli, de quo supra dictum est quod est ultra Equinoctiale. Iterum // (f. 26or) superius ponitur terra ubi fit zinziber, superius ponuntur multe insule, superius ponitur insula Taprobane. Nunc de ista insula aliquid dicatur, et apparebit quod ultra Equinoctiale sit habitatio optima et temperata.

25

278. DE INSULA TAPROBANE

Versus Eurum, ubi incipit oceanus Indicus, est insula Indie dicta Taprobane, secundum Ysidorum. Et de ista terra dicit Plinius quod est sita inter ortum et occasum. Et ab Eo mari incipit pretenta India, a Prasia Indorum gente, itinere dierum XX, cuius latitudo habet VII^M stadiorum et in latitudine V^M. Currit per medium fluvius dictus Erima-thus. Unam partem tenent helefantes maiores quam gyniat India, alteram partem habitant homines. Margaritis scatet et omnibus gemis. Nunquam vident Septemtrionem nec stellas Virgilias sive Plyades. Lunam ab VIII usque in XVI super terram vident. Lucet ibi etiam in die Canopos sydus permaximum et clarissimum. Solem orientem dextra habet et occidentem sinistra. Et Ysidorus dicit quod habet duas estates et duas yemes, bis floribus vernare locum; arbores omni tempore virent et numquam folia deponunt. Hic sunt conche marine quas nachari dicimus, in quibus generantur margarite; gregatim natant, ducem habent quem secuntur; habent sensum et partus suos maculari timent; cum sentiunt estum, sub aquis se ingurgitant. Hic secantur marmora testudinea varietate. Aurum et omnes lapides pretiosi poculis apponuntur.

5

10

15

18. terram : terra *B* 22. spatium vacuum relictum (*unius lineae et dimidii*) in *B*
 23. Ianuensi : Ianuensis *B* 278 - 4. pretenta : pretenda *B* 11. sydus : sydum *B*
 16. suos : suo *B*

279. DE CIVITATIBUS POSITIS IN INSULA TAPROBANE

In insula Taprobane regina Semiramis, subiugata tota India, ingressa est, ubi secundum Solinum civitatem condidit quam Aracosiam nominavit, quam preterfluit fluvius Erimathus, quam homines crediderunt esse in alterum orbem et habitare eam populi dicti Caschites.

5

280. ITEM DE INSULA TAPROBANE

Insulam Taprobane Magnus Alexander perqurrere volens, misit Oniscratem prefectum classis Macedonie ut terram perlustraret et narraret terre condictiones; ad quam ipse Alexander venit et civitatem condidit quam ex suo nomine Alexandriam appellavit. Et dicit Solinus quod patet amplius stadia XXX. Que dicitur Alexandria post Porum. Fuit enim Porus rex Indorum quem Alexander singulari certamine superavit. Et quia insula Taprobane, ut supra dictum est, non videt polum articum, oportet ponere ipsam cum omnibus suis civitatibus esse ultra Equinoctialem versus polum artaticum. In insulam Taprobane sunt XV insule in quibus colligitur cynamomum.

10

Et quia, ut supra dictum est, ultra Equinoctialem sunt principaliter tria, scilicet terra delitiarum et terra refrigerii et antipedes, ideo de istis per singula dicendum evenit.

281. QUOD EST TRIPLEX TERRA DELITIARUM

Terram delitiarum triplicem nobis scriptura com- // (f. 260v) -memorat. Prima dicitur paradixus terrestris, qui est in Oriente versus Subsolanum sub linea equinoctiali; ad quem primus homo Adam fuit deportatus; in quo sunt Enoch et Helyas. Et de isto paradixo habetur supra, libro primo capitulo <<...>>.

5

Secunda terra delitiarum est <in> Occidente, secundum Ysidorum, contra levam Mauritanie versus Zephyrum ad Occeanum occiduo proxime, et interiecto mari a terra divisa, que dicitur insula Fortunata quia ibi sunt fere omnia bona que requiruntur ad vitam felicem hominis in hac vita. Unde, dicit Plinius, ibi crescunt arbores in altitudine CXL pedum; ibi omnia genera fructuum pretiosorum, ibi mel in maxima

10
281 - 7. in *supplevi* 8. ad Occeanum : ad occidentem *B*; cfr CU III 354 12. pretiosorum : pretiosarum *B*

quantitate et abundantia et avium multitudine permaxima; vites coho-
periunt montes; ibi vicissim crescunt meses et olera. Unde propter eius
mirabilem dulcedinem fructuum et aeris temperiem, quidam gentiles et
15
poete dixerunt hanc insulam esse paradixum terrestrem; sed hoc est fal-
sum, quia paradixus terrestris est in Oriente, Insula autem Fortunata
secundum Ysidorum est in Occidente contra levam Mauritanie. Iuxta
hanc insulam est alia insula dicta Capraria, ubi est caprarum et arietum
multitudine permaxima. Item est insula Canaria, in qua generantur canes
20
mirabilis magnitudinis et fortitudinis.

Tertia terra delitiarum, secundum magistrum Maynetum, est ultra
Equinoctiale inter circulum Capricorni et circulum Artarticum. Et
refert Benzius quod est locus amenissimus circundatus arboribus fructu-
osis ipsum obumbrantibus. Quam phylosophy vocant terram delitiarum
et de isto paradiso fit hic mentio.
25

Quarta terra delitiarum est ultra <Equinoctiale> versus Eurum, ubi
sunt arbores solis et lune.

282. DE TERRA REFRIGERII

Ultra terram delitiarum inter Austrum et Euronothum est terra refri-
gerii sive refugii, secundum Vicentium libro XVI. Et dicitur terra refri-
gerii sive refugii, tum quia est in loco temperato, tum quia ad ipsam
tempore persecutionis Antichristi illic debent fugere christiani.
5

Ibi sunt omnia genera fructuum, omnia genera lapidum pretiosorum. Ibi nullus moritur, nullus infirmatur. Ibi est fons permaximus qui in
XXIIII capita divisus irrigat universam superficiem terre. Ibi arbores
numquam folea deponunt et omni tempore fructus producunt. Hic sunt
montes Admatutini de quibus loquitur Phylosophus in Libro de Lapi-
bus et Albertus in Libro de Mineralibus, quod est quoddam genus
magnetis quod ex una parte atrahit ferrum et ex alia parte fugat. Aliud
genus calamite atrahit aves de aere; aliud atrahit pisces de fontibus; aliud
atrahit bestias de nemoribus; aliud genus calamite invenitur quod atrahit
aurum extra flumina. Item aliud genus calamite est quod atrahit carnes
de corpore hominis frustratim et homo semper ridet donec moriatur.
10
15

18. iuxta : iusta *B* 27. Equinoctiale supplevi iuxta *CU I 29* 282 - 3. refugii :
refrigerii *B* 10. Admatutini, recte Adamantini 11. quoddam : quedam *B*

283. DE PROVINTIA CHENITIS ET DE HOMINIBUS HABENTIBUS FATIEM
CANIS

Iuxta terram delitiarum meridionalem est quedam provintia dicta Chenitis, inter Austrum et Euroastrum, ubi sunt homines dicti kynocephali qui habent capud canis et latrant quasi mastini: habent dentes longos // (f. 261r) et prohytiunt ignem de ore, habent unguis manuum et pedum aduncos sicut ancipiter et induuntur de pellibus bestiarum.

Ibi sunt symie habentes duo cornua et oculos VIII et pedes VIII.

Ibi est quedam bestia dicta chenceronta que habet corpus quasi corpus asini, pedes equi; habet os ab aure usque ad os, et loquitur sicut homo balbutiens. In medio frontis habet unum cornu longum per quatuor brachia, et est bisulcum.

Ibi sunt grifes sive griffones qui sunt bestie magne ut bos; habent corpus leonis et os quasi rostrum aquile, similiter et pedes et allas. Hii griffes custodiunt montes quorum terra est multo auro respersa; unde nullus homo ad illos montes potest accedere.

Ibi sunt dracones qui habent in capite cristam quasi gallus et habent duo capita. Eorum oculi lucent quasi ignis. In quorum capitibus inveniuntur smeraldi pretiosores mundi. Et isti similiter dracones custodiunt montes aureos.

Ibi est fons qui omni die fit tribus vicibus dulcior mele et tribus vici bus amrior fele.

284. QUOD SUNT ANTIPEDES

Nunc restat dicendum utrum sint antipedes. Hanc questionem Macrobius super Sompnum Scipionis clare determinat, dicens quod antipedes, qui adversa nobis urgent vestigia, morantur in illa parte terre que contra nos est. Illi dicuntur antipedes transversi respectu nostri qui sunt infra terram dyametaliter; qui autem sunt versus Austrum dicuntur obliqui; similiter qui sunt in Oriente transversi respectu Occidentis et qui sunt sub pollo Artico sunt transversi respectu polli Artartici. Hii habitant Euronothum versus.

284 – 3. determinat : determinant *B*

285. DE VERO OCCEANO, QUOD DIVIDIT TERRAM IN DUAS INSULAS
Secundum sententiam Macrobii, in illa parte mundi que est versus Austrum non solum oportet ponere terras seu provintias, ymo oportet similiter ponere esse plura maria. Dicit enim quod verus Oceanus terram dividit currens per lineam equinoctialem, agitatus sive motus a corpore celesti. Ex illa parte que est ad Orientem, relicto proprio loco, currit in parte versus Austrum et in parte versus Aquilonem. Similiter facit ab illa parte que est versus occasum quia, derelicto proprio loco, pars vadit versus Austrum et pars venit versus Aquilonem. Hinc est quod oportet esse aliqua particularia maria vel caribtides aut syrtes, ubi talis influxus aquarum recipiatur.

Unde Guliermus de Conchis ait, et refert Vicentius libro XVI, quod refluxus maris Oceani, ad Septemtrionem vergens, ingurgitatur inter montem Calpem et montem Athlantem, et fluit usque ad medium terre Ierusalem, et habet in circuitu VI^M miliaria. Et mare Maurum, quod ex ipso oritur, habet III^M miliaria in circuitu. Ex autem orientali refluxione versus Aquilonem nascuntur duo maria, scilicet Indicum et Caspium.

Et Macrobius dicit quod ex uno loco nostri maris oritur mare Rubrum Indicum et habet in circuitu II^M miliaria; et sub ipso est mare de Katha, quod habet in circuitu CC miliaria. Infra terram est mare de Serra montibus circundatus, qui de mari non oritur // (f. 261v) et habet in circuitu III^M miliaria. Deinde est mare Caspium, secundum Benzium in Cronicis. Pars Oceani orientalis habet maria VIII, scilicet Caspium, Persicum, Theberiadis, Asphatanes, Rubrum, Arabicum, Carpatium et Mortuum, licet quod aliqui dicant quod Caspium mare non oritur de Oceano.

Deinde omnes supradicti auctores, scilicet Macrobius, Albertus et Guliermus, in hanc convenient sententiam, quod versus australē partem mundi Oceanus suis refluxionibus multa maria oportet adimplere. Cum ergo maria extra suum sinum influant nunc ad Austrum, nunc ad Aquilonem, dum contingit ad proprium locum reverti miro impetu se feriunt in puncto Orientis et in puncto Occidentis, et ex tali aquarum collisione nascitur illa famosa Oceani accessio pariter et recessio.

286. QUID FATIAT FLUXUS ET REFLUXUS MARIS

Eodem modo oportet ponere duo maria, unum sub pollo Artico, alterum sub pollo Artartico, in quibus maris influxiones ingurgitentur. Et Liber de Ymagine Mundi dicit quod Occeani accessus et recessus lunam sequitur, cuius aspiratione retro agitur et impulsu infunditur. Cottidie autem, id est omni die, bis effluit et remeare videtur; et luna crescente crescit, et luna decrescente decrescit. Cum luna est in equinoctio, propter vicinitatem et propinquitatem, ex Occeano maiores fluctus insurgunt. Et quando est in solsticio, propter suam maiorem distantiam, 10 facit minores. Et preter hunc motum habet mare Occeanum motum fluxus et refluxus, qui sequitur motum lune de septima in septimam, de quo phylosophy clare determinaverunt. Preter istos supradictos motus maris Occeani, sunt plures alii particulares motus quos fatiunt caribtides sive voragini, que nichil aliud sunt nisi quedam loca cavernosa et spelunce late et permaxime, largo oris hyatu patentes, que in ortu lune 15 maiores fluctus evomunt et naves ad se trahunt, et atrahunt aquas ut evo- mant et evomunt ut iterum atrahant.

287. DE VORAGINIBUS MARIS

De quibus voraginibus dicit Ystoria Lombarda sic: gens Longobar- dorum sive Hunorum de insula Scativana in finibus Germanie traxit originem. Hinc versus Occidens iuxta sunt populi Scriptionini qui in solstitio estivali solem non vident. Iterum versus Occidens est una vorago maris in littore que motu celeri quasi sagitta bis in die aquas atrahit et iterum evomit.

Inter Britaniam et Galliam est altera similiter vorago que bis in die aquas atrahit in Gallia Aquitania, scilicet fontes et flumina, et attractas expellit et fontes replet et aquas dulces facit amaras sua commixtione.

A littore maris Seniquitico in distantia XXX miliariorum est insula dicta Ebodia. Est alia vorago que naves attractas iterum integras in ter conftractas reddit.

Circa mare Adriacum est alia vorago cuius fluxus // (*f. 262r*) et refluxus in mari Venetiarum et Hystrie apparent. In freto Siculo est altera

286 - 14. loca : loco *B* 16. ut : et *B* 17. et *bis scriptum in B* 287 - 13. reddit : rediit *B*

vorago quam Virgilius appellat Caribtidem, sicut patet in istis versibus:

Destrum Silla latus, levum in plaga Caribdis
obsidet atque imo barcri ter gurgite vasto
sorbet in aruptum fluctusque vergit in auram,
erigit alternos et sydera verberat unda.

20

Et hoc accidit communiter fieri VIII vicibus omni die. Hinc evenit quod nulla navis per tales partes vix transire possit, quia, dum aqua atrahitur, loca circumstantia remanent sicca et naves in terra iacent; et dum aqua evomitur tantus est vomitus aquarum impetus se invicem ferientium quod naves transire non possunt. Hec omnia in subiecta apparent figura:

25

[Figura 46]

// (f. 262v) 288. DE MARI QUOD EST ULTRA EQUINOCTIALEM

Ultra Equinoctiale inter cetera maria, sicut narrat frater Symon Pre-dicatorum qui in partibus illis moram contraxit annis V, primo occurrit mare quod dicitur Elyocora, quod interpretatur ‘regio solis’, quia ibi sol oritur versus Subsulanum; et est istud mare in terra Etham. Et dicit Metodius et refert Magister quod ad hanc terram venit Ionithus, quartus filius Noe, de quo habetur supra, libro secundo capitulo <<...>>. Et est similis magnitudinis cum mari Indie, quia habet in circuitu II^M miliaria. Ibi nascuntur saphiri, carbunculi sive rubini et perle sive margarite. Et aurum pro nichilo reputatur, sed ferrum est apud eos ita carum sive pretiosum sicut apud nos est carum aurum. Ibi invenitur opillus, lapis pretiosus qui facit invisibilem illum hominem qui ipsum portat super se. Et dicunt experti quod facit oculos omnium hominum lypos sive obscuros, et tamen illius qui portat facit claros.

5

10

17. in plaga *B* : implacata *Verg.* 18. barcri *B* : baratri *Verg.* ~ vasto *B* : vastos *Verg.*
19. vergit in auram *B* : rursusque sub auras *Verg.* 23. remanent : remanet *B* ~ sic-
ca : sica *B* 288 - 1. quod : qui *B*

289. DE MARI ARENOSO

Supra mare Ethan supradictum est mare arenosum versus Eurum, et habet in circuitu III^M miliaria. Ibi nulla est aqua sed sola arena; sed fertur quod aliquando fuit ibi mare, unde dicitur mare ratione temporis preteriti. In toto isto mari arenoso non est aliqua domus nec aliquis fons nec aliqua via; et sunt versus tropicum Capricorni. Unde merchatores fatientes transitum habent directorium quod volvitur versus pollum artarticum et semper vident stellam illam magnam que dicitur Canopos, que etiam lucet in meridie et per eius aspectum diriguntur.

Et <de> isto mari habetur in Ystoria Alexandri quod est sine aquationibus et habet iter X dierum, in quo sunt multi serpentes et fere. Et in fine istius maris erant homines cohopersi pellibus tygridum et pantherarum; et illa terra habundat thure et opybalsamo, quibus pascebantur homines illius regionis. Deinde pervenit ad unum nemus quod est in Oriente versus Eurum, plenum opybalsamo et odore optimo, in quo numquam serpens nec avis nec fera nec pluvia in illum locum descendit. In medio nemoris erant duo arbores quas reges Indorum consacraverant soli et lune, alte centum pedes, de quarum fructu sacerdotes nemoris comedentes vivebant annis V^C. Et nomen arborum erat debries, quod interpretatur ‘arbores solis et lune’. Cum autem sol oriebatur et tangeret sumitatem arboris solis, illa arbor concutiebatur usque ad radices et tenuissimo sermone de arbore exibat vox quasi sibilus et dabat responsa secundum quod sugerebant tres sorores dicte dee furiarum, scilicet Cloto, Lathesis et Antropos, de quibus supra dictum est libro secundo capitulo <<...>>. Non ergo arbor loquebatur sed ille tres infernales, sicut communiter videmus accidere in ydolis gentilium. Et arbor solis dabat responsa de futuris prout sunt in causis suis, et loquebatur interdum Indico sermone, interdum Greco. Arbor autem lune, viso lune splendore in prima hora noctis, concutiebatur usque ad radices et dabat responsa, et incipiebat loqui Greco sermone et finiebat Indico.

Ad istas arbores // (f. 263r) pervenit Alexander, ut habetur in eius istoria et refert Magister in Ystoriis. Et dixit ei arbor solis: «Dominus orbis eris, sed in patriam tuam non reverteris vivus, quia in Babilone non

298 - 9. lucet : lucem *B* 10. de *supplevi* 20. interpretatur : interpretantur *B* 23. sugerebant : sugerebatur *B*

ferro sed veneno extingueris». Et facto sero arbor lune de termino vite Alexandri ait: «Sequenti anno de Madii in Babilone a quo non speras interfitieris». Hiis auditis stupefacti sunt Indi, dicentes quod Alexander erat deus, qui potuit usque ad tam remotissima loca pertingere. 35

Super istud mare harenosum versus Euronothum est aliud mare quod dicitur mare Oeytis, quod habet in circuitu miliaria fere MCC; in cuius medio est una insula magna valde, que fere videtur illud totum mare sua magnitudine completere. Ibi habitant gigantes qui habent tantum unum oculum in medio frontis. Et in ista insula nascuntur omnia genera aromatum. Et isti numquam exeunt insulam suam nec audent loqui aliquae persone extranea nec alicui mercatori. Unde merchatores qui vadunt ad ipsos portant pannos, sericum et similia necessaria pro indumentis quibus indigent, et ponunt iuxta unam arborem; et in arbore suspendunt aliquod signum per quod possunt intelligere illi gigantes quid volunt potius mercatores, et postea recedunt. Tunc veniunt illi gigantes et exportant pannos nullo vidente, et in ipso loco ponunt magnos acervos de aromatibus, et recedunt. Postea mercatores vadunt et exportant aromata. Et sic est inter ipsos mutua emptio et venditio sine locutione. 40 45 50

Hec tria supradicta capitula habui ex ore fratri Symonis ordinis fratrum Predicotorum, de quo supra dictum est. Nunc autem revertamur ad terras que sunt sub Equinoctiali vel iuxta.

Prima civitas que occurrit in Oriente versus Subsolanum est civitas dicta Seres. Et provintia dicitur Seres, sive, secundum Ptholomeum et Alfraganum, dicitur provintia Syn. Et dicit Clemens in Itinerario quod civitas Seres <est> in initio orbis terre ad Orientem. Et Solinus ait quod post inhumanos situs primos hominum Seres cognoscimus. Et poeta dicit in metro: 55 60

Ignoti fatie sed noti vellere Seres.

Pro tanto dictum est quia servant in emendo seu commutando illum modum quem tenent gigantes mononculi supradicti. Unde dicit Solinus: omnes homines extraneos fugiunt; par illis et Ypoborreis genus vite est. 65

43. aliqui : *an alicui corrigendum?* 58. est *supplevi*

Hic nascitur in arboribus lana subtilis de qua fit sericum, et habent in tanta habundantia, sicut nos habemus linum aut stupam. Ipsi absque mutua locutione sericum dant mercatoribus et recipiunt thus et ammonum. Apud eos non est fur nec meretrix nec homicidium. Omnes sibi 70 ipsis iudices fiunt. Nullum norunt sacrificium sed iustitiam. Ideo apud eos nulla est pestilentia nec guerra.

Provintia Seres sive provintia Syn, secundum Ysidorum, incipit ab Occeano orientali et infertur lateraliter per littora maris descendendo usque ad mare Caspium et Scithicum. Et secundum Ptholomeum, ut refert Ariz, et secundum Alfraganum, primum clima incipit a provintia Syn et similiter secundum clima et tertium. Et nobilior civitas que sit in tota // (f. 263v) provintia Sin dicitur Asfanu, ubi est sedes regis Sin. Et dicit frater Symon supradictus quod ista civitas est maior civitas mundi et multa sunt mirabilia in partibus illis.

80 Et dicit Solinus quod inter provintiam Syn et Indiam guarissimi cinoces se collocaverunt. Et secundum Papiam cinici guarissimi dicuntur phylosophi nudi, qui parcissimo cibo vivunt. Hos beatus Ambroxius vocat Garamatas, ad quos venit Alexander, de quibus supra dictum est.

Ibi sunt pygmei, homines siquidem parvi duobus cubitis, qui facti 85 annorum trium generant filios et facti annorum VIII sunt antiqui. Hii naturaliter pugnant contra grues. Sunt etiam ibidem homines dicti homoziunculi qui sunt minores pygmeis.

Alexander, hiis habitis responsis, non per mare harenosum sed per aliam viam rediit. Venit enim primo de nemore ab ortu solis, et venit ad 90 vallem Iordiam, ubi sunt serpentes in quorum collo nascuntur smaraldi, qui pascuntur pipere albo et lasere. Ibi sunt grifes et leones habentes in cauda duas unguis latas sex pedes.

Deinde venit ad flumen dictum Ocularis, latum XX stadiis, in cuius 95 ripis erant arundines altiores altissimis arboribus, et XXX milites vix poterant unam arundinem portare; de quibus Alexander fecit naves et transivit flumen. In ripa istius fluminis inter arundines erant dentes elefantorum multi nimis, quia ibi elephantes habitare consueverant. In flumine erant due mulieres pulcerrime albiores nive, habentes crines spar-

80. guarissimi (*bis*), recte gnarissimi

sos, que non comedebant nisi pises. Et erant similes nimphis in pulcritudine, et natabant per aquam quasi essent pises; et homines extraneos suffocabant in aquis.

De flumine Oculas venit Alexander ad fluvium Ganges; quo transito pervenit ad civitatem Seres ubi sunt homines iusti, ut dictum est.

Inde pervenit recto itinere ad portas Caspias, que secundum Martialem nichil aliud sunt nisi quedam precisio montis. Et dicit Solinus quod habet ista strata in longum VIII^M passuum et lata quantum potest unum plaustrum pertransire. Et dicit Martialis quod modo sunt obserrate trabibus ferreis et verno tempore obclauduntur serpentibus. Per transitis portis Caspiis venit Alexander in Fasciacen ad Portum regem Indorum.

Ex his manifeste colligitur que est via de Fasciacen insula Indorum usque ad arbores solis et lune.

290. DE ITINERE QUOD FECIT ALEXANDER SUB INSULA FASCIACEN

De insula Fasciacen Alexander venit ad Oxidraces, ubi habitant nudi sapientes dicti gygrosofiste, qui non habent domos neque habitationem sed iacent super folia in tuguriis et specubus; qui petierunt ab Alexandro ut faceret ipsos immortales.

Deinde pervenit ad litus ultimi Occeani; et ad fluvium Ganges sive Physon perveniens, cognovit quod ultra fluvium Ganges in insula quadam habitabat Dydamus didiscalus (id est magister) qui est rex Bragamanorum. <Ad> quam insulam non accessus nec inde recessus; ubi non invenitur ferrum, ideo non collunt // (f. 264r) terram. Hii habitant in speluncis subterraneis et vestiuntur papiro. Non possunt navigare. Et dicit beatus Ambroxius in Libro de Vita Bragmanorum quod Alexander ivit ad eos. Cui ait Didimus didiscalus: «O Alexander, tu queris peragratu Oriente in alteram orbis partem transire. Nundum transisti fluvium Tyberoam nec Zenethadem, nec in medium orbis pervenisti, nec nomen tuum nundum audiverunt populi dicti Methorii nec populi dicti Carporofine». Multa dixit Alexander ad ipsum. Et iussit Alexander fieri

109. Portum, *recte* Porum 111. insula : insulam *B* 290 - 1. sub insula Fasciacen post Alexander venit (*l. 2*) in *B*, quas voces *transposuimus* 9. ad *supplevi*

columpnam marmoream altissimam et ibi infigi, ubi erat scriptum: «Alexander usque huc pervenit».

20 Deinde rediit in insulam Fasciacen et iussit fieri duas colupnas aureas altas XXV pedes et erigi in ultima India, ultra trophea Herculis et Liberi patris, in signum quod plura viderat et plura loca perlustraverat quam illi.

291. DE TROGOGITIS

Ultra Equinoctialem super Africam, sub tropico Capricorni, sunt populi dicti Trogogite qui, secundum quod dicit Ymago Mundi, numquam vident polum articum. Hii continue, ut habetur in Libro de Proprietatibus Rerum, excavant montes ubi possint habitare protecti a calore solis. Et continue, sicut alie gentes certis horis laudant Deum, ita isti blasfemant solem, eo quod eis prestat nimis magnum estum.

292. DE MARI DE KATA ET DE GOG ET MAGOG

Infra provintiam Syn exit de Occeano mare quod dicitur mare de Katha, et est satis parvum habens CC miliaria, ubi inveniuntur rubini, saphyri, perle et aurum multum nimis. Et ex nomine istius maris tota provintia dicitur Kata.

5 Ubi est sciendum quod Iapheth filius Noe, secundum Iosephum, accepit in sortem non solum Europam, ymo et magnam partem Asye, scilicet a monte Caucaso quod incipit in India et, quasi volens totum mundum penetrare, usque ad montem Taurum. Et habuit Iapheth VII filios qui habitaverunt ab India usque ad flumen Thanay. Unde Iapheth interpretatur ‘latitudo’, quia ex eo fere omnis populus gentium natus est. Ipse Iapheth super fluvium Thanay versus Aquilonem construxit civitatem quam vocavit Colisina, sicut habetur in Libro de Mappa Mundi.

10 Inter alios filios Iapheth, unus dictus est Magog, de quo descenderunt Scithe et Gothi. Et dicit Methodius et referth Benzius quod isti populi comedebant mures et serpentes, et homines quando moriebantur non sepeliebant sed comedebant; similiter comedebant pueros abortivos. Propter quod Alexander habuit eos exosos et expulit de terra Orientis, et cohegit eos intrare versus Borream per portas Aquilonis, que sunt quedam montis incisio lata XII cubitis. Et vocantur isti montes Ubera

Aquilonis; ubi etiam sunt incluse X tribus Iudeorum que adoraverunt vitulos aureos. Et non est accessus ad eos nec exitus nisi per dicta scissura montis, que ad orationem Alexandri montibus hinc inde ruentibus clausa fuit. Ibi supra, // (f. 264v) in loco dicte scissure montis, Alexander fecit duo castra ex ere; super castra fecit equites de cupro tenentes tubas in ore et a tergo, ubi sunt foramina, quando ventus Subsulanus flat, tantum fatiunt tonitruum ille tube quod homines habitantes extra illos montes ponunt unam aurem in terra et aliam aurem obturant et fugiunt ad domos subterraneas, et percutiunt in organis et tympanis ne audiant illum sonum. Item in illis montibus, ex parte maris, est quoddam parvum foramen unde exeunt venti et tonitrua magnum timorem patientia illis qui transeunt.

Gentes autem inter hos montes incluse dicuntur Og et Magog et cetera. Et secundum prophetiam Ezezielis in fine dierum debent exire; unde dicit: «In die novissimo exhibet Gog et Magog».

Et dicit Iohannes Coroblarus quod isti montes Admatutini sunt; et si quis accesserit ad eos, extrahunt ensem de vagina, sagitam de pharetra et clavos de navi.

Tunc temporis in partibus Orientis, in provintia dicta Kata versus Vulturnum, constructa fuit quedam civitas dicta Cambalan, in qua sunt due vie in modum crucis, late quantum potest archus iacere in tribus vicibus, et sunt longe per XXVIII miliaria. Et habet ambitus civitatis LXXXVIII miliaria. Hic sunt lapides pretiosi, panni aurei nimis, aurum multum ultra quam credi posset. Parce vivunt. Eorum cibus est risum, milium. Vinum non habent, non boves nec oves, quia pascuis carent. Eorum dominus se intitulat ‘dominum super VIII maria’. Expendunt peccuniam de papiro et sunt Tartari.

Ibi est una palus habens in circuitu CCC miliaria, et in circuitu sunt aliique habitationes. Similiter inter palludem homines habitant in navibus die et nocte. Et dividunt navem per medium cum asseribus: ex una parte stat homo cum uxore et filiis cum lecto et coquina, et in altera parte navis ponuntur mercationes. Et quando dominus navis vult ire ad

24. montis : muntis *B* 36. Admatutini, recte adamantini 43. panni : pani *B*

aliquem locum et portare mercationes, dicit secum totam familiam suam. Et si interrogantur de qua terra ipsi sint, dicunt se non esse de aliqua, sed dicunt se natos in navi et esse de aqua et non de aliqua terra.

Hii homines habent lampredas grossas valde, sturiones, torrentinas et totus suus cibus sunt pisces. Habent canas grossas et altas, de quibus fatiunt trabes et columpnas et naves.

In partibus ultra Equinoctiale inter Subsulanum et Eurum, ubi non videtur polus Articus, est civitas dicta Columbus, ubi fit zinziber columbinus. Ad istam civitatem veniunt illi de Egipto navigantes per mare Rubrum et similiter illi de mari Indico, et commutant suas mercationes pro zinzibre. Et tunc illi de civitate Columbo illas mercationes portant per quoddam flumen usque ad provintiam de Katha, et inde intrant mare de Katha et pergunt in mare Occeanum versus Oriens; et sic navigant per omnes provintias circumstantes.

Supra civitatem de Columbo versus Meridiem sub tropico estivo, directe sub paradiso terrestri, est imperium presbiteri // (f. 265r) Iohannis. Et habet sub suo dominio CXXVIII regna. Ad hunc cum venisset Cingiscan imperator Tartarorum ut pugnaret cum ipso, presbiter Iohannes posuit ymagines de ere plenas igne, quas imposuit super dorsum camelorum, et cum folibus sufflaverunt a dorso ymaginum. Qui commixtis ipsis Tartaris omnes fugierunt nec umquam redierunt.

In civitate Fasciacem, ubi est sedes Pori regis Indorum et aliorum regum Indie, sunt XXIIII^M militum, currus falcati VIII^C, ellephantes portantes turres cum iaculatoribus superpositis CCCC.

In palatio regis sunt porte facte ex ebore. Per longitudinem palatii sunt columpne ex auro purissimo solide, mirabilis grossitiei et altitudinis, numero XXX. Et super columpnas erant capitelli ex auro fulvo. Inter columpnas erant vites ex auro et uve cristalline interiectis smeraldis. Ex utraque parte pallatii erant parietes cohoperti laminis aureis, et lamine erant grosse uno digito. Lecti erant ornati et camere carbuncu-

76. portantes : portates *B* 81. ex : et *B*

lis, margaritis et unionibus. Erat templum post pallatum plenum ydolis ex auro purissimo. Inter ipsas statuas erant arbores dicte platanus ex auro. Inter ramos istarum arborum erant aves ex ere picte secundum modum avium, habentes unguis ex auro et rostra, in quarum colla pendebant margarite et uniones; et quando placebat regi, per artem musicam cantabant et dulcissimos sonos emittebant. Et in mensa regis omnia vasa erant ex auro, usque ad mortalia, et pauca vasa erant ex argento.

Regnum Mongallorum sive Tartatorum est positum inter Oriens et Aquilonem, versus Borream et Vulturnum. Et habet ab Oriente imperium Katha, ab Aquillone circundatur mari Occeano, a Meridie habet terram Sarracenorum, ab Occidente provintia Nayamanorum. Ipsorum imperator in suis litteris sic habet in suo sigillo: «Deus in celo et Cuyucham super terram, Dei fortitudo, omnium hominum imperator». Quicunque ingreditur ad ipsum genu sinistrum flectit tribus vicibus. Et si quis calcaret limen hostii capite privaretur. Tentorium imperatoris est maximum, de purpura rubea, et continet duo milia hominum, ad quod plus quam $IIIIM^M$ nuntiorum pariter conveniunt, qui de diversis regnis et provintiis portant tributa vel munera imperatori. Hic interdum inventi sunt V^C currus pleni auro et argento et vestibus siricis. Tronus imperatoris est de ebore figuratum multis ymaginibus, rotundum a parte posteriori, in quo erant inserti lapides pretiosi et margarite, et per multos gradus ascendebat ad tronum. Et plures ex principibus habuit in freno equi sui et sella et pectorali et postella ultra XX marchas auri. Imperium Mongallorum sive Tartarorum habet sub se L reges.

293. DE NEMORE IUXTA ARBORES SOLIS ET LUNE

Iuxta arbores solis et lune, eundo versus Occidens ubi non videtur Tramontana sed ultra Equinoctiale, est nemus dictus Iordan, ubi // (f. 265v) sunt serpentes in quorum capitibus nascuntur smaraldi pretiosi valde et vescuntur pipere albo et lasere. Item ibi sunt grifes mirabiles et leones qui habent in cauda unguis latas sex pedibus, quibus cuncta animalia mactant. Hec ex Ystoria Alexandri.

294. DE INSULIS ULTRA EQUINOCTIALEM QUASI IUXTA POLLUM ANTARTICUM

Ultra istud nemus de Iordan, versus Meridiem ultra Equinoctiale, sunt insule mirabiles; et tantum sunt versus pollum antarticum quod imperator Tartarorum et alii reges Indorum de ipsis insulis fere nullam possunt habere notitiam. Et sunt posite in mari quod currit versus Meridiem tam fortiter quod nullus qui illuc <vadit> in XX diebus non potest reddire in centum dietis. Imperator Tartarorum fecit investigari de condictionibus istarum insularum et fuit reperta insula dicta Canchibar et insula dicta Madaycasgal.

Et iterum versus Meridiem sunt insule multe in ipso mari currente, quarum nomina non habentur. Et dicit Marchus Paulus quod ibi nas- cuntur aves dicte ruc que sunt maiores aves mundi, in tantum quod elle- vant ellephantes in alto aere, et est una penna allarum habens XII spa- nas. Ibi sunt porci silvestres maiores destrariis, quorum unus dens pon- derat XIII libras. Ibi sunt ciroffe et asini salvatici. Et imperator Tartaro- rum habuit de istis pennis avium et dentibus porchorum, sicut refert Marchus Paulus.

295. DE INSULA ZARACHIBAR

In ipso mari currente versus Meridiem est insula dicta Zarachibar, cuius circuitus habet II^M miliaria. Ibi sunt gigantei nigri et nudi habentes oculos grossos et nasum rufufatum in sursum. Et portat unus ex eis pon- dera quatuor virorum de nostris. Non habent equos sed pugnant in elle- fantibus incastellatis, ita quod in uno castello stant XX homines. Bibunt cervisiam factam de riso et zuchara. Comedunt dactilos, risum, lac et carnes.

In ipso mari fit ambra quia ibi sunt ballene multe nimis. Ibi sunt oves et arietes albi habentes capud nigrum. Ibi est quedam bestia parva dicta gyraffe, tota depicta rubeis et albis rosis. Ibi sunt innumerabiles leones et leopardi et unzie et ellephantes. Et fatiunt isti homines magnas merca- tiones de dentibus ellephantum.

294 - 7. vadit supplevi 17. pennis : penis *B* 295 - 4. rufufatum, *scil.* rebufato *in Marci Pauli libro*

Hic Marchus Paulus facit finem loquendi de insulis positis in illo mari magno Indie. Et dicit quod sunt in partibus illis plus quam XII^MVII^C insule, sicut habetur in compasso sive mappa maris Indie. Nec est homo in mundo qui sciret enarrare vel scribere mirabilia que sunt in India Maiore.

15

296. DE PORTU DICTO ZAYTHON ET CIVITATE CYAMBAM

De insulis que sunt ultra Equinoctiale in alio mari de India quod non currit, sicut habetur ex mappa maris Indie, nunc restat dicendum.

Sub linea equinoctiali vel citra paulisper est portus dictus Zaython, ubi homo quando incipit navigare versus Occidens // (*f. 266r*) vel Garbinum per MV^C miliaria invenit terram dictam Cyambam, cuius rex ex diversis uxoribus generat CCCXXVI filios, quorum CL portare poterant arma. Ibi nascitur aloe et lignum ebanum nigrum et ellephantes maximi. Isti homines adorant ydola et imperatori Tartarorum dant pro tributo omni anno XX ellephantes.

5

10

297. DE INSULA JAVA UBI NON VIDETUR TRAMONTANA

De terra Cyamban, navigando inter Meridiem et Syrochum per MV^C miliaria, invenitur in mari una insula dicta Iava Maior. Et habet in circuitu III^M miliaria. Et secundum fratrem Odoricum ibi perditur Tramontana, quia est ultra Equinoctiale, et tunc appareat eis pollus antarticus. In ista insula nascitur piper, gallenga, spigo, gobium, gariofoli et nuces muscate. Homines istius insule sunt ydolatre. Et imperator Tartarorum numquam potuit ibi habere aliquod dominium. Hec ex dictis fratris Odorici et Marchi Pauli.

5

298. DE INSULIS SANDOR ET CHODUR

De insulla Iava Maiori navigando inter Meridiem et Garbin per VII^C miliaria inveniuntur due insule, scilicet Sandor et Chodur. Et ultra has insulas per miliaria V^C invenitur provintia dicta Locach, ubi nascuntur porcellane de quibus fit moneta que expenditur fere per totam Indiam. Ibi fit aurum multum nimis et ellephantes et birci domestici facti sicut

5

297 - 6. gobium, *an cubebe corrigendum (iuxta Marcum Paulum 152)?*

lupini. Ad istam insulam pauci vadunt, quia est multum extra alias insulas et provintias, et spetialiter quia mare non est altum in partibus illis plus quatuor passibus et nulla navis magna potest transire nec remigare.

299. DE INSULA PEYTAN

De insula Locach navigando versus Meridiem semper per mare illud bassum quatuor passibus, per miliaria V^C invenitur una insula dicta Pentayn. Et est insula multum silvestris, quia naves illuc non possunt ire. Ibi sunt nemora plena arboribus odoriferis, et sunt aromata multa nimis. Et ibi flectitur mare versus suroch.

300. DE INSULA IAVA MINORE UBI SUNT VIII REGES

De insula Penthayn navigando versus suroch per C miliaria invenitur insula dicta Iava Minor, que habet in circuitu II^M miliaria. In ista insula sunt VIII reges de corona; et sunt ultra Equinoctialem quia dicit Marchus Paulus quod ibi non videtur Tramontana nec modicum nec satis, nec apparent ibi stelle que sunt ad magistrum.

In ista insula habente VIII reges sunt multum magna mirabilia, sicut dicunt frater Odoricus et Marchus Paulus, quia in arboribus nascitur farina de qua fiunt panes optimi, et sunt exterius albi et interius nigri. Sunt etiam ibi quedam arbores similes palmis, de quibus exit liquor similis vino rubeo, et est optimus // (f. 266v) ad bibendum. Ibi nascuntur nuces que dicuntur ‘nuces de India’ et sunt multum grosse. Et nascitur camphora in magna habundantia et venditur pro tanto auro. Homines aliqui istius insule habent caudam quasi caudam canis, longam per unum palmum. Si homo infirmatur ad mortem, filii eius eum macitant et comedunt. Ibi sunt astures nigri sicut corvus et sunt optimi, et simie et ellephantes et unicornii. Et dicit Marcus Paulus quod unicornius est bestia aliquantulum minor ellephante; habet pillos ut bubalus, caput porci, pedes elephantis, linguam plenam magnis et duris spinis, in medio frontis habet cornu nigrum et grossum, et habitat libenter in luto.

300 – 8. nascuntur : nascuntur *B* 20. habitat : habitant *B*

301. DE MARI MORTUO ULTRA EQUINOCTIALEM

Iuxta istud mare quod currit versus Meridiem est quoddam aliud mare, de quo dicit frater Odoricus quod dicitur mare Mortuum quia quidquid ibi cadit vel procytus non invenitur. Ibi nascuntur canne que dicuntur casau, que extenduntur super terram sicut gramegna et sunt longe per unum miliare, in quibus nascuntur lapides qui redunt se portantes quod non possunt ledi seu vulnerari ferro vel cutello. Et de virtutibus istorum lapidorum tractat Marchus Paulus.
5

302. DE PROVINTIA ZANPPA, UBI PISSES CERTO TEMPORE PROYTIUNT SE EXTRA FLUMEN

Secundum fratrem Odoricum, ultra istam terram ubi nascuntur canne est alia provintia in rippam maris Mortui que dicitur Zanppa, cuius rex habet XXIIII^M ellephantes domesticos, quasi essent boves. Et habet circa CC filios et filias.
5

In terra ista certis temporibus anni una generatio piscium exit de mari Mortuo et prohibiunt se super rippam et permittunt se capi; deinde alia generatio piscium facit similiter, et sic de omnibus aliis generationibus piscium. Et dicunt homines quod illi pisces veniunt adorare regem illius provintie tamquam deum suum. In illo mari nascuntur testudines tam magne quanta est revolutio circuli ecclexie Sancti Antonii de Padua. Item in illa terra, mortuo viro, uxor similiter uno igne viva concrematur.
10

303. DE INSULA DICTA NACUVERA

Eundo versus Meridiem navigando invenitur insula dicta Nacuvera, cuius ambitus est II^M miliaria. Homines istius insule vadunt nudi. Ibi nascuntur gariofoli, sandalli et nuces muscate.

304. INSULA DICTA ANGAMAN

Iuxta hanc insulam est alia insula dicta Angaman. Homines istius insule habent fatiem canis mastini et dentes et oculos. Vivunt sicut homines silvestres. Ibi est habundantia fructuum et omnium aromatum,

301 - 4. canne : cane *B* (*id. seq.*) 5. casau, recte cassan (*iuxta Odorici Relationem, 14*) 302 - 4. alia provintia : aliam provintiam *B*

5 et comedunt carnes hominis. Et dicit frater Odoricus quod isti homines vadunt // (*f. 267r*) nudi et adorant bovem.

305. INSULA DICTA SCILLAN ET <DE> RUBINO MIRABILI

De insula Angaman, navigando versus Occidens aliqualiter versus Garbin per M miliaria, invenitur insula dicta Scylan, que habet in circuitu IIIIM^MIIIIC^C miliaria, licet nunc in parte ruerit propter undas maris, et est maior insula mundi et melior. Ibi piscantur saphiri, topatii, ametisti et meliores rubini qui sint in mundo. Rex istius insule portat in manu unum rubinum longum per unam spanam, grossum sicut brachium hominis; rubet sicut ignis et lucet sicut flamma et nullam habet maculam, nec est in mundo ita pulcer lapis.

10 Et dicit frater Odoricus quod iste rex portat ad collum CCC perlas grossas in modum torquis et facit omni die suis ydolis CCC orationes. In ista insula est unus lacus totus plenus rubinis, perlis, dyamantibus, ubi sunt plures lapides pretiosi quam in aliquo regno sive provintia mundi. Ibi sunt aves habentes duo capita. Ibi sunt animalia que numquam ledunt forenses sed incollas sic. Ibi est altior mons mundi, de quo dicitur quod Adam et Eva ibi planixerunt C annis. Homines istius insule vadunt nudi, nullius subduntur imperio. Arbores producunt quandam liquorem quasi vinum, sicut supra dictum est.

15 306. INSULA DICTA DONDYN

Ultra hanc insulam Scylan versus Meridiem secundum fratrem Odo-
ricum est alia insula dicta Dondyn, in qua filii patres infirmos mactant
et cum mirabili festo comedunt eos. Et dicunt marinarii qui navigant per
istud mare Mortuum quod ibi sunt XXIIII^M insule nobiles in quibus
sunt LX reges de corona.

Hic frater Odoricus et Marchus Paulus dimittunt loqui de insulis
istius maris et incipiunt tractare de Maiori India, que est ultra Equino-
tiale.

307. DE MAIORI INDIA, QUE EST ULTRA EQUINOCTIALEM

Maior India, et melior que sit, est in terra firma ultra Equinoctialem. Unde quando recedit de insula Scylan supradicta et vadit versus Occidens per LX miliaria, invenit in terra firma in rippa maris supradicti unam provintiam que dicitur Maabar, que est nobilior et ditior provin-
tia mundi.

Homines istius insule vadunt nudi et rex similiter, sed rex habet in collo torquem plenam rubinis, saphyris, smeraldis et perlis, et in utroque brachio et in utraque tybia habet tres circulos plenos lapidibus pretiosis, similiter habet pedes plenos gemis et auro. Ad collum portat unum filum de paternoster ex perlis grosis et rubinis numero CXIII et facit totidem orationes mane et sero suis ydolis. Et valent talia ornamenta regis plus quam valeat una civitas.

De mari supradicto intrat hanc provintiam unum brachium sive gol-
fus, in quo nascuntur tot perle quod est mirabile videre. Et iste golfus
maris non est altus ultra X passus et in aliqua // (f. 267v) parte non
habet ultra duos.

In ista provintia non vivunt equi ultra unum annum; et valet equus C
marchas argenti. Quando rex moritur comburritur corpus eius, et omnes
eius milites et domicelli conburruntur cum ipso. Quando aliquis male-
factor debet interfici, conceditur ei quod interficiatur se ipsum coram
idolo et hoc est magnus honor.

De ista provintia fuerunt illi qui interfecerunt beatum Thomam apos-
tolum: unde nullus qui sit natus de illis potest intrare illam ecclexiam; et
aliquando X homines voluerunt portare unum de illis in predictam
ecclexiam et non potuerunt.

308. TERRA UBI POTATOR VINI NON RECIPITUR IN TESTEM

In ista provintia non recipitur in testem qui bibit vinum nec aliquis
marinarius, quia sunt homines desperati. Nulla luxuria est illicita. Estus
est maior quam aliquis credere posset, quia numquam ibi fere pluit.
Omnes, tam rex quam alii homines, sedent in terra, quia corpora sunt
reversura in terram. Sunt magni philosophi dediti prestigiis, auguriis et
adorant bovem. Ibi sunt astures nigri sicut corvus et barbastrelli magni
sicut astures et coalie multe.

309. REGNUM DE MURFULI UBI NON VIDETUR TRAMONTANA

Recedendo de provintia Maabar supradicta et homo incipit venire versus Tramontanam, per M miliaria non videt Tramontanam, et perve-
nit ad unum regnum quod dicitur regnum de Murfuly.

Ibi sunt altiores montes qui sint in mundo, in quo sunt aquile albe. Et
ibi inveniuntur dyamantes, et non in alia parte mundi. Ibi fiunt meliores
bocharami mundi.

310. CIVITAS UBI EST CORPUS BEATI THOME APOSTOLI

In provintia dicta Maabar, in quadam parva civitate ultra Equinoctia-
lem, est corpus beati Thome apostoli. Ad hanc civitatem non vadunt fere
aliqui mercatores quia est locus valde silvestris. Ecclexiam sancti Thome
frequentant christiani et sarraceni; et dicunt Sarraceni quod sanctus
Thomas fuit natione Sarracenus et propheta maximus. Christiani acci-
piunt de terra rubea ubi fuit sparsus sanguis apostoli, que distimperata
cum aqua et data infirmis sanat omnes infirmitates. Ubi est sciendum
quod beatus Thomas apostolus predicavit in India Mezana, ubi conver-
tit multas gentes, sed postea transivit ad Indiam Maiorem de qua nunc
agitur, ubi fuit mortuus et est sepultus.

311. PROVINTIA DICTA LAR

Eundo de provintia ubi est corpus sancti Thome apostoli versus
Occidens, invenitur provintia dicta Lar. Ibi sunt homines dicti Bragma-
ni, viri virtuosi nimis. Apud eos non est mendacium neque furtum. Non
comedunt carnes nec bibunt vinum; comedunt super folia; utuntur qua-
dam potionem factam de argento vivo propter quod vivunt plus quam //
(f. 268r) CL annis; adorant bovem, sunt dediti auguriis, horispietiis; dor-
munt in terra nuda; nullum animal interficiunt.

312. PROVINTIA DICTA COLIUM

Incipiendo etiam a provintia dicta Maabar supradicta, eundo versus
Garbinum per V^C miliaria invenitur provintia dicta Colium.

Ibi est tantus calor quod ova projecta in fluminibus currentibus sta-

309 – 5. qui : mundi et qui *B*

tim sunt cocta. Homines vadunt nudi, et sunt nigri et ultra modum luxuriosi. Omnia nemora sunt plena pypere. Ibi sunt leones nigri et papagalli albi sicut nix. Ibi sunt multi astrologi et medici, et christiani et iudei et sarraceni. Ibi nascuntur byrci sicut lupini et sunt optimi. 5

313. PROVINTIA DICTA CAMARI

Quando homo incipit apropinquare ad lineam equinoctialem per XXX miliaria invenitur provintia dicta Camari. Ibi sunt leones, leopardi, unzie et symie similes hominibus. Et dicit Marchus Paulus quod ab insula dicta Iava usque ad istum locum non videtur Tramontana; sed quando homo recedit de ista provintia dicta Camari et intrat mare per XXX miliaria, pertransit lineam equinoctialem et incipit videre Tramontanam altam a terra per unum brachium. 5

314. PROVINTIA DICTA HELY; ET APPARET TRAMONTANA ALTA PER UNUM BRACHIUM

Eundo de provintia Camari versus Occidens per miliaria CCC, inventur provintia de Elli, ubi nascitur piper et zinziber multum nimis. Homines istius contrate non sunt viri bellicosi sed sunt pyrrate maris pessimi. Ibi leones multi et alie bestie silvestres. 5

315. PROVINTIA DICTA MELIBAR, UBI APPARET TRAMONTANA ALTA DUOBUS BRACHIIS

Versus Occidens ubi appareat Tramontana alta a terra duobus brachiis, in provintia Indie Maioris, est quoddam maximum regnum quod dicitur Melybar; et iuxta est aliud regnum quod dicitur Cosurach. In istis duobus regnis nascitur piper, zinziber, cynamomum, nuces de India. Et ibi fit bocharatum optimum et subtilimum. Ibi sunt pyrrate maris pessimi. 5

316. PROVINTIA DICTA COSURACH, UBI APPARET TRAMUNTANA ALTA SEX BRACHIIS

Cosurach regnum de quo supra dictum est videt Tramontanam altam sex brachiis super terra. Ibi nascitur piper, zinziber, endego. Ibi sunt

5 arbores alte sex passibus que faciunt bombacem. Ibi est multum de corio, et fiunt opera de corio pulcriora que sint in mundo.

317. QUATUOR REGNA ULTRA EQUINOCTIALEM

Eundo per mare versus Occidens, in provintia Indie Maioris ultra Equinoctiale, inveniuntur quatuor regna, scilicet Tau et Cambaech, Somenach et Resmachoram. Et ubique sunt multe merca- // (f. 268v)
5 -tiones. Et in istis quatuor regnis non videtur Tramontana.

318. INSULA FEMINARUM CHRISTIANARUM ULTRA EQUINOCTIALEM

Recedendo de regno de Resmachoram, navigando versus Meridiem per VI^C miliaria, invenitur insula dicta Femena; ubi sunt tantum mulieres et sunt christiane, habentes episcopum christianum qui est sub archiepisco de Scyra. Hic non videtur Tramontana.

319. INSULA VIRORUM CHRISTIANORUM ULTRA EQUINOCTIALEM

Iuxta hanc insula, per XXX miliaria ultra Equinoctiale, est alia insula dicta Maegla, ubi sunt tantum homines et sunt christiani, positi sub episcopo christiano. Hii homines certis temporibus vadunt in insulam Femenam et stant tribus mensibus cum uxoribus. Si nascitur puella stat cum matre, si nascitur puer vadit cum patre. In isto mari sunt multe balene et ambra in maxima quantitate et pisces multi nimis. Hic non videatur Tramontana.

320. INSULA DICTA SCYRA ULTRA EQUINOCTIALEM, UBI SUNT CHRISTIANI

Ultra hanc insulam, navigando versus Meridiem per V^C miliaria ultra Equinoctiale, invenitur insula dicta Scyra, ubi sunt homines christiani habentes archiepiscopum christianum. Hii arte dyabolica coniurant ventum et fatiunt naves ire et redire sicut volunt. Vadunt nudi et habent ambram multam nimis et pisces in copia.

321. INSULA DICTA MADAYGASCHAR

De insula de Scyra ultra Equinoctiale eundo et navigando versus Meridiem per M miliaria, invenitur insula dicta Madaygaschar que habet

in circuitu $IIIIM^{CCCC}$ miliaria, ubi sunt sarraceni. Et currit hoc mare versus Meridiem tam fortiter quod naves vix possunt redire, ut supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>. Ibi nascuntur plures ellephantes quam in aliqua parte mundi, similiter camelli, leones, unzie, leopardi. Ibi nascuntur sandali rubei et ambra multa nimis et balene maxime.

Deinde est insula dicta Zarachibar, de qua supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.

Et hic est finis, ymo principium, Indie Maioris. Ultra sunt insule numero $XIIM^{VI}C$, sicut dicit Marchus Paulus. Nec imperator Tartarorum unquam potuit habere dominium in aliqua terra Indie Maioris.

322. DE INSULA INDIE MEZANE UBI EST PROVINTIA DICTA ABASCIA, UBI SUNT CHRISTIANI

Finita istoria Indie Maioris, accedit Marchus Paulus tractare de India Mezana, ubi predicavit beatus Thomas apostolus. Et primo dicit quod in India Mezana est una provintia dicta Abascia, cuius rex est christianus et habet sub se tres reges christianos; et homines habent in fronte unam crucem factam cum ferro calido. Ibi nascuntur gyrifalchi, leones, lyardi, unzie, asini salvatici, strutiones, papagay, symie, gatti maymones. Item iste rex christianus habet sub se alios // (f. 269r) sex reges sarracenos; et homines portant unum signum factum cum ferro calido a fronte usque ad sumitatem nasi.

Hic rex christianus voluit ire Yerusalem et visitare Sepulcrum, sed non potuit. Et misit unum episcopum christianum; quem ceperunt Saraceni qui habitant in regno de Aden et circumciderunt ipsum in contemptum regis sui christiani. Quo auditio, anno Domini MCCLXXXVIII, rex Abascie christianus supradictus cum exercitu invasit sarracenos illos et totum regnum devastavit.

323. PROVINTIA DICTA ADEN, UNDE PERVENIUNT MERCATIONES USQUE IN LOMBARDIAM

In India Mezana sive Media est alia provintia dicta Aden, cuius rex

322 - 7. gyrifalchi, recte girafe iuxta Marcum Paulum ~ lyardi, recte leopardi iuxta Marcum Paulum 14. circumciderunt : circundederunt B

dicitur soldanus de Aden; homines sunt sarraceni.

In isto regno est quidam portus in ripa maris ad quem descendunt mercatores de India portantes aromata et diversas aves et diversa animalia. Hinc per quoddam flumen per VII dietas trahuntur predicte mercationes et postea ponuntur in terra firma; hinc per XXX dietas in camelis portantur mercationes usque in Alexandriam Egipti; hinc navigio conducuntur ad Ytaliam. Et ista est brevior via et melior quam possint facere mercatores quando volunt conducere mercationes de India superiore ad Ytaliam.

Rex istius provintie est ditior rex fere mundi, solum de introytibus mercationum. Et misit soldano Babilonie quando ivit super Acri anno Domini MCCLXXXX, in auxilium XXX^M equitum et XL^M camelorum.

324. CIVITAS DICTA ASYER

Eundo de portu Aden supradicto versus Magystrum per IIII^C milia-
ria, invenitur una civitas magna dicta Asyer, que est de provintia Aden in
India Mezana. Ibi nascitur incensum album et dactili; et sunt pisces dic-
ti toni in tanta quantitate quod pro VII venetis grossis dantur due toni-
ne. Ibi fit panis de piscibus, et equi et camelli et moltones pascuntur pis-
cibus.

Et hic finitur ystoria Indie Mezane, sequitur de India Maiore.

325. DE PROVINTIIS ET INSULIS ULTRA EQUINOCTIALEM IGNOTIS

Ad intellectum eorum que dicenda sunt de India Maiore est sciendum quod, sicut habetur in Ystoria Alexandri, Didiscalus rex Bragmanorum dixit ad Alexandrum, qui totam Indiam superasse se credebat, volens ostendere quod Alexander mundum non subiugaverat, ait: «O Alexander, tu credis peragratis partibus orientalibus in alteram orbis par-
tem pertransire, sed deciperis. Licet enim perveneris usque ad arbores solis et lune, tamen usque ad medium mundi pervenisti: nundum trans-
isti fluvium Tyberoan nec Zenechadem. Nundum nomen tuum audi-
verunt populi dicti Methorii nec populi dicti Carporine». Ex quo datur intelligi quod ultra Equinoctialem et ultra tropicum Capricorni sunt

regna et provintie multe, sicut habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>

Et Marchus Paulus dicit quod in mari Indie sunt insule XII^MVII^C, sicut habetur in compassu maris Indici.

15

Et Aytonus rex Armenie, in libro quem scripsit de factis Indorum, // (f. 269v) dicit quod in India tot sunt insule quod numquam fuit aliquis qui potuerit scire numerum, nec qui potuerit ipsas perquirere; sed omnes insule que videri potuerunt sunt plene auro, lapidibus pretiosis et divitiis infinitis.

20

Et refert Benzius in Cronicis quod India credita fuit quod esset tertia pars mundi.

326. ORDO PROVINTIARUM IGNOTARUM A POPULIS CARPOFORINIS USQUE AD TERRAM SERES

Erit ergo iste ordo Indie Maioris, incipiendo a superiori parte versus Meridiem sive ultra Equinoctiale: qui primo ponuntur populi dicti Carporoforini; postea inferius populi dicti Methorii; postea populi dicti Zenochades; et inde sequitur fluvius Tyboroam, nec umquam nomen Alexandri fuerat auditum ad aliquem de predictis populis; inde est terra deliciarum et antipedes; postea arbores solis et lune; postea ad nemus plenum balsamo; postea ad mare arenosum; deinde mare Elyochora; inde perventur ad castrum Seres, quod est in initio Indie, ad quem possunt ire mercatores. Et de ista terra primo erit dicendum.

5

10

327. DE OPIDO DICTO SERES

Solinus dicit in libro De mirabilibus mundi quod post inhumanos situs primos hominum Seres cognoscimus. Et Clemens dicit in Itinerario quod civitas Seres est versus Oriens in initio orbis. Ab ista civitate tota provintia dicta fuit provintia Syn, de qua meminit Ptolomeus et Alfraganus.

5

Homines istius civitatis non collunt aliquem deum, sed iustitiam: apud eos non sunt furta nec homicidia nec aliqua pestilentia.

Ibi in arboribus nascitur lana subtilis, que ab oppido dicto Seres serum dicitur; et ibi est tanta abundantia ut una libra serici detur pro uno

10

327 - 9. que : que dicitur *B*

veneto grosso. Ibi nascuntur aromata multa nimis.

Isti numquam exeunt terram suam, et si mercatores ad ipsos vadunt non locuntur eis, sed mercatores portant ad eos illa quibus indigent, scilicet thus, amomum et plura alia, et ponunt in uno campo iuxta arborem et in arbore ponunt scripturam in qua continetur quid volunt ab 15 ipsis recipere, postea recedunt. Veniunt illi de civitate Seres vel de provintia, et quantum de mercationibus inveniunt in agro, tantum ad mensuram in agro deponunt. Unde poeta dixit:

Ignoti fatie, sed noti vellere Seres.

328. PROVINTIA DICTA KATHA; ET SUNT VIRI OCULATI VALDE; ET DE OLEO

Sub provintia Sym sive Seres, lateraliter in rippa maris Occeani ad Orientem descendendo, est provintia dicta Katha.

5 Et dicit Aythonus rex Armenie quod istud regnum habet ab Oriente quod sit principium mundi, eo quod ulterius non sit aliqua habitatio; a Meridie habet insulas innumerabiles plenas auro et divitiis; ab Occidente habet regnum Tarsse; ex parte Septemtrionis habet desertum de Bolia. Et istud regnum // (f. 27or) de Katha est maius regnum quod possit 10 inveniri in universo mundo. Ibi est civitas dicta Iong que est sedes imperatoris Tartarorum, qui potest congregare M^M et CCC^M militum. Et omnes alii reges Tartarorum, scilicet imperator de Toris et imperator de Turquesten, id est de Turchia Maiori, et imperator Comanie, non possent tantum de melitia congregare quantum solus imperator de Katha. Et 15 ideo omnes Tartari mundi ipsum reverentur tamquam dominum suum, sicut reges christianorum reverentur papam sive imperatorem.

Homines illius regni sunt valde pulcri; habent oculos parvos et nullam fere barbam; sunt tymidi in bello et sapientissimi in omni opere, unde dicunt quod ipsi soli habent duos oculos, Latini autem habent unum oculum, et omnes alias nationes dicunt esse cecas.

20 Ibi sunt plura et mirabilia facta quam sint in toto mundo.

Apud eos nichil tam carum sicut oleum olivarum, quod reges gubernant tamquam sumnum medicamentum. Habent monetam de papiro quadratam, imperiali signo signatam; et secundum diversa signa, peccu-

nia est maioris vel minoris pretii. Et <si> propter antiquitatem contin-
gat devastari, ille qui habet ad curiam imperatoris reportabit et pro illa
dabitur sibi nova. 25

329. QUOD IN REGNO DE KATHA SUNT MULTI CHRISTIANI

Frater Iohannes de Monte Corvino ordinis Minorum, qui moratus
fuit in regno de Katha cum imperatore magno Tartarorum annis XI et
plus, dicit quod anno Domini MCCLXXXII intravit imperium de
Katha, ubi numquam aliquis apostolus Christi nec discipulus predicavit.
Et dicit quod ibi sunt multi christiani qui sapiunt heresim Nestorii, qui
dicunt quod in Christo non fuit facta unio personalis Dei et hominis,
ymo in Christo alia fuit persona Dei, alia persona hominis; unde beata
Virgo non fuit mater Dei, sed tantum Christi hominis. Quod est contra-
rium illud Iohannis primo capitulo, qui dicit quod verbum, id est per-
sona Filii Dei, factum est caro sive homo. Et isti heretici persecuntur
christianos catholicos. Et sunt in regno de Katha plures ecclexie chris-
tianorum catholicorum, et cantantur misse, et pulsantur campane, et
multi ex eis baptizantur. Et imperator, licet non sit baptizatus, tamen
multum diligit christianos. Maior pars illorum de regno Katha adorant
ydolla. 15

Et Aytonus rex Armenie dicit quod imperator de Turquesten, id est
Maioris Turchie, facit CCCC^M militum; et imperator de Toris facit
CCC^M militum; et imperator Comanie facit VI^{CM} militum. Et iterum
dicit quod imperator de Katha plus posset facere de militia quam omnes
alii tres simul, et quod isti tres imperatores Tartarorum ipsum reverentur
tamquam suum dominum. 20

330. DE INSULIS OPPOSITIS PROVINTIE DE KATHA

Marchus Paulus, qui fuit in terra Tartarorum annis XVII, expressius
loquens de imperio Tartarorum de Katha, dicit quod est quoddam mare
dictum mare de Cym sive de Mangli. Sunt insule MXLVIII et sunt in
maxima distan- // (f. 270v) -tia ab India et fere nullus vadit ad eos. Ibi
sunt arbores omnes aromaticae; ibi nascitur piper album et piper nigrum;
5

328 - 25. si supplevi 330 - 3. quoddam : quodam B

et tantum est ibi de auro quod nullus homo posset credere nec ymaginari.

Et de istis insulis Marchus Paulus nichil dixit, nec aliquis homo mundi fere umquam ibi fuit, licet in compassu maris Indie multa de eis inscripta vel depincta sint.

331. INSULA DICTA ZIMPAGU

Inter alias insulas que sunt in mari de Cyn est insula dicta Zinpagu, que est versus Oriens et distat a terra firma navigando versus Occidens MV^C miliariis. In ista insula est unus rex qui numquam fuit sub dominio Tartarorum.

Ibi nascuntur perle grosse et pretiose nimis. Aurum est infinitum. Pallatum regis est longum valde et latum, totum cohopertum auro purissimo; totum pavimentum pallatii et fenestre sunt ornatae auro optimo; nec est homo in mundo qui posset narrare vel scribere mirabilia illius palatii. Ibi sunt inserte perle grosse et lapides pretiosi sine numero.

Imperator Tartarorum dictus Cublay Kanis Grandis anno Domini MCCLXVIII misit magnum exercitum et navigium mirabile ut posset hanc insulam superare, sed non potuit: ibi inventi sunt in quadam civitate homines habentes super se quosdam lapides pretiosos tante virtutis quod nullum ferrum poterat eorum carnes incidere nec aliqua mazia de ferro mactare. De istis lapidibus narrat frater Odoricus et dicit quod isti lapides nascuntur in quibusdam kannis, ut supra dictum est.

332. PORTUS DE ZAYCON ET DE CIVITATE CYAMBAM

De insula Zinpagu supradicta navigando versus Occidens per milia-
ria MV^C percurrent ad portum de Zaycon et de Quinsay, quod inter-
pretatur ‘civitas celi’.

De portu Zaycon navigando versus Occidens et quasi versus Garbi-
num MV^C miliariis, invenitur civitas dicta Cyamban; et inde navigando
inter Meridiem et Syrocum MV^C miliariis invenitur insula dicta Iava,
ubi incipit occultari Tramontana. Et de istis civitatibus et de his que sunt
ultra insulam Iava versus Meridiem supra dictum est eodem libro capi-
tulo <<...>>.

Nunc autem dicamus de civitate Quinsay, quod interpretatur ‘civitas celi’ sive ‘celum’.

333. CIVITAS QUINSAY QUE INTERPRETATUR ‘CELUM’

Civitas Quinsay interpretatur ‘celum’, et est in distantia a mari Occeanico per XV miliaria; sed civitas est posita in aquis de lagune sicut est civitas Venetiarum, nec potest aliquis ire per civitatem nisi in navibus vel per pontes. Civitas habet in circuitu C miliaria.

Et dicit frater Odoricus quod habet XII portas et totidem burgos, et quilibet burgus habet VIII miliaria. Et in capite cuiuslibet burgi est una civitas, ita quod sunt XII civitates, et quelibet est maior quam Venetia et Padua. Unde si homo perambulat unum burgum per unam septimanam, videbitur ei quod quasi nichil viderit de civitate.

Et dicit frater Symon ordinis Predicatorum, // (f. 271r) qui ibi fuit longo tempore, quod ista civitas est magis longa quam lata, posita in ripa fluminis sicut est Feraria. Et dicit quod circuitus burgorum, si esset muratus, haberet in circuitu plus quam iter unius mensis. Et dicit Marchus Paulus quod ista civitas est maior et nobilior que sit in toto mundo.

In medio civitatis est unus lacus habens in circuitu XXX miliaria. In medio laci sunt due insule et in qualibet est unum pallatum magnum, in quolibet inveniuntur omnia genera ciborum ad vendendum. Et ibi fatiunt homines suas nuptias et principes faciunt suas curias. In hac civitate comeduntur equi et canes et mures et carnes omnium animalium. Expendunt monetam de cartis.

334. DE MERCATIONIBUS CIVITATIS QUINSAY

In ista civitate dicta Celum habitant homines M^M et VI^{CM} . Et ascen-
dit introytus de sale tantum M^M $MMMM$ VI^{CM} florenorum auri, et non
computatur hic introytus aliarum mercationum. Ibi fit plus de zucharo
quam in toto alio mundo. Ibi sunt aromata in maxima quantitate et in
maximo foro, que omnia redunt tria cum dimidio pro quolibet cente-
nario. Ibi est sericum multum nimis et dat X pro centenario.

Nulus artifex, quantumcumque dives, non potest mutare artem suam

nec domum; ymo quilibet habet scriptum super portam domus nomen suum et nullus potest inde recedere sine spetiali gratia imperatoris.

335. DE ARTIFICIBUS ISTIUS CIVITATIS ET DE CIVITATE CAMFU

In ista civitate sunt plus quam III^M stufe calide et pontes de lapide XII^M. Ibi sunt XII artes principales sive operaria, et quilibet ars habet XII^M stationes, et in qualibet statione sunt X vel XX vel XXX vel XL laboratores qui sunt magistri.

In ista civitate est unum pallatum quod est maius pallatum quod sit in mundo. Habet enim muros quadros, et in quolibet quadro sunt duo miliaria cum dimedio, et habet in universo in circuitu X miliaria. In isto pallatio sunt XX sale, omnes ornate auro, in quibus comedenter X^M hominum.

In ista civitate sunt multi christiani et una ecclesia christianorum. Ibi est unum monasterium in quo omni die apparent anime mortuorum sub diversis figuris: alie habent corpus canis, alie bovis, alie leonis et sic de aliis. Et ibi datur eis bibere et comedere.

De ista civitate exiit unus fluvius versus Oriens et Grecum, currens per XXV miliaria, et intrat mare Occeanum. Et in ipso introytu fluminis in mare est una civitas dicta Camfu, ubi est portus maris unde veniunt naves de India, et hinc navigant usque ad civitatem dictam Cel-lum.

Ista civitas est capud regni Manzi, in quo sunt MCC civitates. Imperator magnus Tartarorum istud regnum de Manzi divisit in VIII reges de corona, qui sunt sub imperatore et redunt ei rationem de omnibus introytibus regnorum suorum. Et dicit frater Odoricus quod unus ex istis regibus est presbiter Ianes.

<335 bis> CIVITAS DICTA TAMPYGUI ET DE CIVITATE UGYN // (f. 27IV)

Quando homo recedit de civitate Quinsay sive Celum et vadit versus Syrochum per unam dietam, semper per zardinos et campos fructibus plenos et castra et domos, ut videatur semper ire per unam civitatem plenam populo, pervenit ad civitatem dictam Tampygui.

335 bis : *capitis numerus deest in B*

Hinc iterum versus syrochum, semper inveniendo domos, castra et ortos et zardinos pulcerrimos per tres dietas, pervenitur ad civitatem dictam Ugyn, ubi nascuntur canne maxime habentes in longitudine XXIIII brachia.

10

Inde per quatuor dietas invenitur in quodam monte civitatem dictam Cyangyam.

Inde per tres dietas invenitur civitas dicta Coyicum, que est ultima civitas de dominio civitatis Quinsay sive Cellum. Et ita incipit regnum provintie Fuguy.

15

[Burgaria Magna que dicitur Byley. Georgiani, Allani et Rutheni et Cycconi. In India Minore: Persidi, Barbari et Sarraceni, quorum caliph, id est papa, dat omni die pro tributo CCCC bysanzios, exceptis baldechinis et aliis munerebus. Item Kathay, Naymari, Solangy, Karichathay id est Nigri Kathay, Conani, Thumat, Viorat, Catanity, Huyur, Somoggal, Merkaty, Mecrity, Sarhuyur, Cosmur, Bysermizi, Turchomani, Charola, Thoniti, Buricholbeth, Purositi, Cassi, Nestoriani, Armeni, Kangith, Bruthachi (qui sunt iudei), Morduy, Tochcizi, Gazari, Samogeculi, Thaci, Sarthi, Ethyopes inferiores et Cricassi].

20

Qualiter has gentes subiugaverunt et quo tempore: est sciendum quod, sicut dicitur in Cronica Martiniana, anno Domini MCC, tempore Innocentii tertii et Henrici VII, tempore quo beatus Dominicus ordinem Predicotorum cepit velle instituere; et dicit Iohannes Cordolarius quod in terra Mongal, per quam fluit fluvium Tartarus (unde terra Mongal dicitur Tartaria), quidam dictus Cyngis factus est dux Tartarorum, qui subiugavit primo terram Sumongal et terram Merchitis et Metritas, quos omnes fecit sibi tributarios.

25

Quo auditio Ochingis, rex Naymanorum et Nigrorum Kathaorum et totius provintie de Katha, congregans exercitum pugnavit in quadam valle in preruptis duorum montium contra Chyngischam imperatorem Tartarorum, et superati sunt omnes a Tartaris.

30

Et Occodaycham filius Cyngischam factus fuit imperator de Katha, cuius dominium durat usque hodie, qui construxit in terra de Katha civitatem que dicitur Omyl. Iuxta istam civitatem est desertum in quo

35

9. cane : cane B 16-23. Burgaria Magna... Cricassi : glossema, ut videtur, ex Iohanne de Plano Carpini, *Hist. Mong.* VII 9 26. Henrici VII, recte Henrici VI vel Henrici V

40 habitant homines silvestres qui non locuntur nec habent iuncturas in
cruribus; atamen Tartari non potuerunt vincere terram Kathaorum que
est in mari de Katha.

45 Ibi supra est desertum in quo erant homines habentes capud canis,
sed mulieres habent capud humanum, et vestiunt se luto indurato et
dentibus lacerant hostes. Et in quodam conflictu superaverunt omnes
Tartaros.

50 Chyngischam imperator Tartarorum, superatus a dictis canibus, redit
in terra sua que dicitur Mongallorum. Et dimissis partibus Orientis, ver-
sus Occidens ad plagam Vulturni venit ad montes // (*f. 272r*) Caspios,
ubi sunt inclusi Gog et Magog. Et cum apropinquassent monti qui
Adamantini, ut dicit Iohannes Cordalarius quod mons atraxit ad se sagi-
tas et arma Tartarorum, Og et Magog voluerunt pugnare cum Tartaris et
fregerunt montem; et statim in illa apertura facta est nubes grossa et feti-
da, ad quam quis accedens efficiebatur cecus; et sic nichil actum est. Et
55 in terram suam reversus est et dimisit quatuor filios, scilicet Occoday,
Rosuscham, Chyady et Mongal. Ipse vero tonitruo periiit. Horum gene-
ratio in subiecta patet figura:

[Figura 47]

60 In provintiam Ungarie et Polonie venit dux Ordu et cum ipso alii
principes, scilicet Burim et Cadan et Syban et Duyech, et superaverunt
Turchos; et intrantes provintiam Rusie superaverunt civitatem Kyoniam,
que est metropolis Rusie, et totam provintiam Rusie in servitutem redi-
gerunt. (Est autem Rusia sive Ruthenia habens ab Oriente terminos
Romanorum, Gothiam ab Aquillone, Panoniam ab Occidente et Gre-
tiam a Meridie; et concordat in lingua cum Boemis et Sclavis; et est ter-
ra maxima condam dicta Gallatia, quibus Apostolus scripsit epistulam).

65 Deinde pugnaverunt contra Ungaros et Pollonos et superati sunt Tar-
tari.

43. indurato vel induito *B* 50. Adamantini : Adamantinus *B* 59. Kyoniam, *recte*
Kyoviam 60. servitutem : servitem *B*

Tartari, habito conflictu in Ungaria supradicto, processerunt ulterius
versus Aquillonem super <<...>>, ubi invenerunt quedam monstra que
erant bestie habentes capud hominis, sed faties erat quasi faties canis:
loquebantur duo vel tria verba more humano et postea latrabant sicut
canes. Postea intraverunt Comaniam et usque hodie habitant ibi.

70

336. DE SAMUELE PROPHETA IUDICE Iudeorum

Habraee sive etatis tertie anno VIIIIC^{II}, mundi anno II^MVIII^CLXX,
anno exitus ex Egipto CCCLXXXX^oVII, post conditum Mediolanum
anno VIIIIC^{II}; Samuel iudex et propheta, officium sacerdotis habens, iudi-
cavit populum Iudeorum annis XII solus, postea cum Saule annis
XVIII. Et dicit Sycardus quod anni iudicium fuerunt CCCCLIII.

5

Hic Samuel, ex Helchana patre et Anna matre, ab angelo nuntiatus
adhuc puer in templo ministravit; et factus annorum XII prophetavit.
Factus senex, duos filios suos Iobel et Abyra constituit iudices; quibus
prevaricatis et contra // (f. 272v) Deum et contra iustitiam, populus tur-
batus postulavit a Samuelle sibi dari regem, qui Dei consilio usus Sau-
lem inunxit in regem. Et iudicaverunt simul Samuel et Saul annis XVIII.
Et cum Samuel sacerdos inunxisset Saalem duabus vicibus, deinde
Samuel et Saul de Palestinis triumphaverunt; sed quia rex Saul Amale-
chitas non delevit, Deus contra ipsum iratus fuit et precepit quod David
rex constitueretur, sicut infra dicetur.

10

15

337. DE QUATUOR REGIBUS IN YTALIA; ET QUOD BRUTUS YTALICUS
INTRAVIT ANGLIAM; ET DE CIVITATE THURONIS

Tempore Samuelis sacerdotis iudicis Israel, in Ytalia regnabant plures
reges, quia in regno Lombardie, que tunc dicebatur Superior Thuscia,
regnabat Aschanius Iunior filius Aschanii filii Enee; in regno Laurentum,
in civitate dicta Laurentia, regnabat Lavinius Silvius Postumus filius
Lavinie et Enee; in regno Hunorum regnabat Humer, qui totam Ger-
maniam superavit; in Gallia Aquitania regnabat Goffanus et in aliis par-
tibus Gallie erant XII reges; in Engleria iuxta Mediolanum regnabat
Anglus, sicut supra dictum est; in regno Campanie regnabat Silvius, qui

5

10

68. *spatium vacuum relicturn (11 fere litterarum) in B 336 - 3. exitus bis scriptum
in B*

ex Amata nepte regine Lavinie genuit filium qui dictus est Butes, qui secundum quod predictum fuerat interfecit matrem in partu et patrem in silva sagitta casu perfodit.

15 Unde dicit Gayfredus in Ystoria Anglicana quod Eneas rex Ytalie genuit Aschanium, qui genuit Silvium, qui furtive nupsit nepti Lavinie et genuit filium qui dictus est Brutus. Qui, factus annorum XV, sagitta perfodit regem Silvium patrem suum. Propter quod expulsus cum Turno nepote suo, quo nullus fere alius homo inveniebatur fortior aut audacior, de Ytalia intravit Gretiam, ubi invenit plus quam VII^M Troyanorum qui descenderant de Helleno filio Priami regis Troye; quorum factus capud et princeps pugnavit cum Prandaso rege Gretie et vicit eum. Cum quo pacificatus, accepit eius filiam nomine Inogen in uxorem et CCCXXIIII naves; et navigans pluribus diebus pervenit ad insulam que dicitur Leogetia, ubi accepit a diis responsum quod versus Occidens in mare Occeano in insula plena gigantibus que dicitur Albion esset regnaturus. Quo auditu navigavit XXX diebus et intravit Affricam et destruxit totam provintiam Mauritaniam. Et pervenientes ad columpnas Herculis ibi multe syrenes in mari aparuerunt que eis multa dampna intullerunt. Et invenit in partibus illis quandam Troyanum qui dictus est Corineus, qui gygantes indifferenter prosternebat. Hic adiunctus est Bruto duci et plures alii Troyani.

20

25

30

Hinc venit in Aquitaniam et pugnavit contra XII reges Gallorum et superavit eos. Tunc Turnus nepos Bruti vir fortissimus, qui VI^C Gallos gladio trucidaverat, perfectus est. Ob cuius honorem, Brutus dux Ytalicus genere civitatem condidit quam ex nomine nepotis Turonum appellavit usque in hodiernum diem, ubi dormit beatus Martinus.

35 Deinde Brutus pervenit ad insulam Albion sibi a diis destinatam, cui econtra venit Goemagog, // (f. 273r) gygas XII cubitorum, qui erat rex illius insule. Quo superato, Brutus insulam optinuit et ex suo nomine Brutanię appellavit, que nunc dicitur Anglia. Et genuit ex Inogen uxore sua tres filios quorum nomina sunt hec: Locrinus, Albanicus et Kalamer. Et super flumen Camesen civitatem condidit quam Novam Troyam nominavit, que nunc dicitur Trinovantum. Corineus virorum fortissimus possedit terram quam ex suo nomine Cornubiam appellavit.

40

Et postquam rex Brutus in Britanię regnaverat annis XXIIII mortuus est, et Locrinus filius eius primogenitus tenuit terram, quam ex suo nomine Leogeriam appellavit, que est media pars insule. Et habuit coronam regni.

45

Alter filius dictus est Kalamer. Hic possedit terram ultra fluvium Sambrium, quam ex suo nomine appellavit Kambria, que dicitur Gualia.

50

Tertius filius dicitur Albanicus. Tenuit reliquam partem insule, quam ex suo nomine appellavit Albanię, que nunc dicitur Scotia.

Et dicit Gayfredus in Ystoria Anglicana quod isto tempore quo Brutus in Anglia regnabat, Hely sacerdos iudicabat Israel et archa Testamenti capta fuit; in Ytalia regnabat Silvius Eneas filius Enee; in Troya regnabant filii Hectoris expulsis posteris Antenoris. Quere infra, libro III^o, capitulo V^o.

55

Quomodo autem a diis rex Brutus responsum acceperit audiamus. Fuit enim in suo comitatu quidam augur nomine Gerio; et habuit alios XII nobiliores viros. Et strinxerunt tympora vittis sive infulis et laverunt se in flumine; et habuit unam cervam albam quam excoriaverunt et sanguinem in amphora vitrea recolligerunt, comiscentes vinum cum sanguine. Deinde fecerunt tres focos sive ignes: unum deo Iovi, alterum deo Mercurio, tertium dee Dyane, cui templum erat consecratum; et in quolibet igne posuerunt certa libamina. Brutus vero rex stetit ante aram dee Dyane et habuit in dextra vas plenum vino cum sanguine cerve albe, et vultu erecto sursum oravit deam ubi ipse esset regnaturus quod sibi indicaret, et vovit sibi construere templum et monasterium virginum. Et VIII vicibus oravit et tribus vicibus altare lustravit et super aram lybamina fudit; et postea super pellem cerve albe obdormuit. Cui dormienti dea apparuit et predixit quod insulam condam plenam gigantibus nomine Albyon, id est Angliam, esset possessurus. Qui gavisus est gaudio magno; unde versus illam insulam navigavit, ut dictum est.

60

<...>

...medietate regni, qui genuit filium qui dictus est Marganus. Aliam

65

70

75

54. Hely : quod Hely *B* 60. vittis : vitis *B* 74. post ut dictum est (*l. 73*) *spatium vacuum (duarum linearum et dimidii) relictum est in B; hic Britannicorum ducum facta a Bruto usque Marganum (Goffr. Monm. I 16 - II 11) narranda erant*

filiam dictam Regau tradidit Hemno duci Cornubie cum altera medietate regni; qui genuit filium qui dictus est Cymedagius. Tertiam filiam dictam Cordulam duxit in uxorem Aganipus rex Franchorum sine dote. Hanc pater introduxit in regnum Anglie; quo mortuo, illa regnavit mortuo viro suo in regno Anglie; qua expulsa regnaverunt duo filii sororum suarum supradicti, scilicet Marganus et Cymedarius.

Tan- // (f. 273v) -dem Cymedarius dominatus fuit toti insule, qui genuit Rivallum, qui genuit Gurgustum, qui genuit Sisilium, qui genuit Kumarchum, qui genuit Grodobugum qui genuit Porex, in quo defecit linea regalis. Et transivit ad Dunvallum Molitium regem Cornubie, qui totius Anglie aureum dyadema imposuit, qui genuit duos filios, scilicet Bellum et Brienum qui dictus est Breno, qui postea obsedit Romam.

338. ORIGO BRENONIS SENOGALLENSIS

Primogenitus dictus Bellus habuit terras, scilicet Locgeriam, Cambriam et Cornubiam, cum corona totius regni; Brienus qui et Breno habuit terram dictam Notambriam.

Sed exorta discordia inter ipsos duos fratres, Breno de regno expellitur et XII assotiatus militibus in Franchiam ivit; postea in Burgondiam, ubi accepit filiam Segini regis Burgondie in uxorem, que dicta est Rorida Flox, et mortuo rege factus est rex Burgondie; qui cum maximo exercitu contra Bellum regem Anglie fratrem suum in Anglia perrexit. Sed facta concordia ambo fratres in Franchiam profecti, infra annum totum regnum Franchorum subiugaverunt; et devastantes Ytaliam per venerunt Romam. Quibus duo consules Romanorum, scilicet Gaius et Proseuma, pacifice occurrerunt et statuerunt eis tributum singulis annis et XIII obsides tradiderunt; sed Romani pacta fregerunt. Quo auditio, Bellius rex Anglie et Breno rex Burgondie iterum Romam petierunt et super portas urbis Rome furchas statuerunt, in quibus illos XIII obsides Romanorum suspenderunt. Tandem Romam optimuerunt. Et Bellinius rediit in Angliam, et Breno dura tyrampnide Ytaliam pressit, sicut infra dicetur cum de Brenone dicetur ystoria grandis. Nunc autem ad ystorię de insula Anglie revertamus.

76. Regau, recte Regan 80. qua expulsa : quam expulsam *B* 85. ad : a *B*

339. DE INSULA ANGLIA

Insula Albion dicta est propter albas rupes insulam circundantes. Quam primo inhabitaverunt gygantes; deinde a Bruto Ytalico supradicato dicta est Britania; deinde a quadam regina nomine Engela dicta est Anglia.

Hec insula secundum Ysidorum habet in circuitu quadragesies octies septuaginta quinque miliaria. Secundum Orosium habet per longum VIII^{CM} passuum, per latum habet CC^M. Secundum Solinum habet in longum VIII^{CM} passuum et in tantum est magna quod fere meretur nomen alterius orbis. Et dicit Iosephus quod non est fere mitior quam noster totus orbis. Et secundum Ysidorum Anglia in Occeano posita dicitur esse extra mundum situata. Unde Luchanus:

Toto divisos orbe Britanos, et cetera.

Secundum Orosium Anglia per longum in Borream extenditur, a Meridie habet Galias et iacet inter Septemtrionem et Occidentem. Habet terram optimam, animalia multa nimis, gygnit agatem lapidem. Ibi fere nullus lupus nec serpens, aves pauce, vites nulle. Unde de ista insula habentur isti versus:

Anglia terra ferax et fertilis angulus orbis,
Insula predives, que toto vix // (f. 274r) eget orbe,
Et cuius totus indiget orbis ope.
Anglia plena locis, gens libera apta locari,
Libera gens cui libera mens et libera lingua,
Sed lingua melior liberiorque manus.

340. INSULE ORCHADES

Anglia a tergo unde patet Occeano infinito habet inter se XXXIII insulas que dicuntur Orhcades, quarum XX sunt deserte et alie XIII inhabitantur.

339 - 1. Anglia : Angla *B* 7. id est III^MVI^C, *in marg. B* iuxta miliaria 8. passuum : passiuum *B* 12. Luchanus, recte Vergilius (*Ecl. I 66*) 22. locis... locari, *sic B cum Bentio, recte iocis iocari* (*Barth. Angl. XV 14*) 340 - 2. infinito : infinita *B* ~ XXXIII : XXX *B*

341. INSULA TYLE

Ultra insulas Orchades numero XXXIII versus Cyrcium, inter Septemtrionem et Occidentem, ab Anglia quantum potest quis navigare in sex diebus est insula dicta Tyle. In hac insula sole existente in tropico Cancri nulla est nox, et ipso existente in tropico Capricorni nullus est dies. In principio veris habundat fructibus. Et dicit Ymago Mundi quod arbores numquam folia deponunt; habundat peccudibus et nullum inter ipsos est matrimonium.

342. INSULE DICTE EBUDES

Inde excipiuntur insule dicte Ebudes numero V, quorum habitatores carent fructibus et pascuntur lacte et piscibus. Unum regem habent. Apud eos omnia sunt comunia, etiam mulieres, quia ibi nullum est matrimonium sed vicissitudines, quibus indifferenter accedit ad quemlibet. Ulterius non est accessus hominibus notus.

343. INSULA SCOTIA

Anglia insula habet in angulo quandam insulam que dicitur Scotia. Ab aquillone mari dividitur ab Anglia, et parte opposita versus Meridiem habet mare Occeanum, quo dividitur ab Ybernia. In Scotia nulla avis, nulla apis, nullus serpens habetur; terra habundans gregibus, nemoribus, fontibus; ibi non est vinum, panis rarus; ibi est copia piscium, lactis, carnis et fructuum.

344. INSULA DICTA HYBERNIA

Hibernia est insula Occeani vicina Anglie, que ab Affrico in Borream extenditur. Est terra temperata in tantum ut fere sit ibi modicus excessus frigoris aut caloris. Ibi nullus est serpens aut aranea aut rana: quod si aliunde portarentur statim morirentur, et si terram istius insule quis portaverit ad alias terras et sparserit per campos, omnes buffones et serpentes interficit. Est ibi lacus in quo, si quis immerserit baculum de ligno, pars que tangit fundum convertitur in ferrum, pars que tangit aquam convertitur in lapidem, pars que super aquam stat est lignum ut prius. Ibi nas-

cuntur margarite et lapides agathes et yris. Ibi est os purgatorii Patritii,
quod multi fuerunt ingressi: nam beatus Patritius ibi fuit episcopus, mis-
sus a papa Celestino primo anno domini CCCCXXX. 10

345. INSULA DICTA PARVA, UBI NULLUS // (f. 274v) MORITUR

Ultra insulam Hybernie est una alia insula Parva in qua nullus homo
moritur, sed si fuerit senio affectus et portetur extra insulam, statim
morietur.

346. INSULA DICTA MEDIA

In medio insule Hybernie est una insula dicta Media, quia in punc-
tali medio insule est posita; et habundat furmento, carnibus, lacte et pis-
cibus; et terra est valde fertilis.

347. INSULA DICTA THANATOS

Anglia insula habet iuxta, modico occeano interiecto, quandam insu-
lam parvam que dicitur Thanathos, terra siquidem fertilis, habundans
furmento. Ibi nullus serpens vivit, sed terra illa quocumque portata ser-
pentes interficit. Simile dicitur de insulla Gallone, que est in Oriente
iuxta populos Garamantes. 5

348. INSULA DICTA GORLANDIA

Ultra Yslandiam per miliaria fere M est insula dicta Gronlandia, ubi
nascuntur falcoes albi et ursi albi. Ibi non nascitur nec granum nec
vinum; habundat piscibus et lacte. Et fere ad ipsos nullus est accessus: et
navis que illuc semel vadit tot concutitur fluctibus quod numquam ulte-
rius potest navigia perficere. 5

349. INSULA TYLE POSITA SUB POLLO ARTICO

Sub pollo Artico est insula dicta Tyle vel Tylen, de qua dicit Solinus
quod non potest habitari, quia quanto tempore sol ab Ariete vadit in
Libram per sex menses sol non videtur, per alios sex menses continue
vident solem. Ultra hanc insulam secundum Solinum est mare pigrum
et concretum. 5

350. DE DUABUS MAGNIS CARIBTIDIBUS ET DE FLUXU ET REFLUXU MARIS

Sub pollo Artico et sub pollo Antartico ponuntur due permaxime caribtides, quasi duo hyatus maris secundum phylosophos, quarum haus-
 5 tu et emissionibus generantur in mari fluxus et refluxus bis in die natu-
 rali, quod totum facit motus lune. Ubi est sciendum quod quanto luna
 vel quecumque alia stella plus aspicit mare directo radio, tanto virtuo-
 sius movet. Inde est quod quando luna est in medio celi diriguntur radii
 fortius, et tunc movet fortius subtiliando et disgregando. Et ex tali dis-
 10 segregatione fit tumor in mari, et cogit aquam per modum cuiusdam
 ebullitionis efluere, sicut appareat in olla buliente; et non tantum subtiliat
 exallationem, ymo etiam segregat, cuius signum est ventus sequens et
 fetor. Per segregationem talis exallationis paulatinam incipit mare resi-
 15 dere in illo loco in quo est luna et facit unum magnum montem; et tunc
 caribtides evacuantur aqua maris et appareat harena circa caribtidem.
 Cum autem pervenerit luna ad punctum Occidentis, tunc iterum incipi-
 20 pit fluere propter iteratam subtiliationem quam facit luna, non // (*f.*
 275r) per directionem radiorum rectorum, quia non est in emisperio
 nostro, sed per directionem radiorum reflexorum a corporibus celesti-
 bus; et ideo ista secunda ebullitio maris est debilior quam prima. Unde
 25 cum luna pervenerit ad angulum terre sive ad medium celi alterius emis-
 perii, non segregat exallationem subtiliam propter debilitatem radio-
 rum reflexorum, sed solum agit subtiliando adhuc quousque radii magis
 obliquantur; et sic exalatio sue nature derelicta ingrossatur et residet
 mare. Quia igitur luna omni die naturali atigit semel medium celli in
 emisperio nostro et punctum ei oppositum qui est medium celi in alio
 emisperio, inde est quod in omni die naturali est bis fluxus et refluxus
 maris.

De istis caribtidibus habetur supra, eodem libro capitulo <<...>>.

351. INSULA SCATIVANIA UNDE EGRESI SUNT LONGOMBARDI

Ultra hanc maris voraginem eundo versus Angliam, in rippa maris
 Occeani est insula dicta Scatinavia, de qua mentionem facit Plinius
Secundus in Libro de Natura Rerum. Nec dicitur insula quia sit in mari

posita, sed quia est marinis fluctibus ex supradicta caribtide factis undique circumfusa. 5

Cuius populi dicti sunt Huni, qui et Longombardi, sicut habetur ex Ystoria Lombarda. Hinc egressi sunt populi supradicti sub duobus principibus, Ibor et Agyon, quorum mater dicta est Cambara. Mortuis predictis ducibus, Agion predictus reliquid filium qui dictus est Agelmud, qui post mortem patris factus primus Longombardorum rex, regnavit annis XXXIII. 10

Hic invenit in pescina VII parvulos filios unius meretricis natos uno partu, quorum unus dictus est Lamisio. Hunc regem Agelmud Burgares interfecerunt; et regnavit Lamisio supradictus pro eo; post quem Dapho filius eius pro eo; et post pauca Albuynus qui Ytaliam intravit. 15

352. INSULA EUBODIA

Iuxta predictam insulam Scatinaviam versus Angliam, in Occeano mari est insula dicta Ebodia, in distantia a Sequinitico littore XXX miliariis. Est alia caribtidis: quadam vice plures naves hic absorte fuerunt et omnes homines sunt submersi, uno excepto. Hic dum iam intrasset os voraginis et vidisset profundissimum et sine fine chaos patens, ibique casu saxo apodiatus stetit. Et post pauca vidi maximos aquarum montes de profundo voraginis resilere, similiter et naves iam prius devoratas redire. Qui de saxo in quo residuebat saltans in unam navim, inde decursu aquarum ad ripam reportatus evasit. Ex Istoria Lombarda. 5 10

353. DE ALIA CARIBTIDE

Inter Angliam et Galiam provintiam est alia caribtidis que in Sequinitica Aquitania per littora fontium facit bis in die plenitudinem alveorum et vacuitatem, et dulces aquas sua comixtione redit amaras. 10

354. DE ALIA CARIBTIDE // (f. 275v)

Item versus Occidens inter Angliam et Oceanum est alia permaxima caribtidis que dicitur umbelicus maris, que bis in die et nocte aquas

352 - 6. patens : pates *B* 8. resilere, *recte* resilire 9-10. decursu : de decursu *B*

354 - 2. Oceanum : occidentem *B* (*cfr CU III 281*)

atrahit et evomit cum tanta celeritate quod more volantis sagitte currat et revertatur. Inde est insula Tyle que dicitur Superior, de qua dictum est.

5 355. INSULA DICTA GADES ET DE COLUMPNIS HERCULIS
 Sic versus Occidens, in illo loco ubi Europa discernitur ab Affrica est insula dicta Gades, quam populi Tyri a Rubro mare profecti in fine provincie Betice construxerunt, ut dicit Ysidorus. Et distat a terra firma CXX passibus, in loco ubi mare subintrans terram dirimit Affricam ab Europa, in quo Herculis columpne esse noscuntur. Et interpretatur Gades quasi ‘sepes’, eo quod undique sit mari circumsepta. Papias dicit quod insule Gades sunt in fine Yspanie in Occidente, inde Gaditanum mare. Ysidorus: Gades dicuntur generaliter omnis locus ubi sunt posite columpne a viris fortibus, in illo loco ultra quem subiugare non potuerunt. Ex libro De Proprietatibus Rerum: Gades est insula dives in aromatibus et fructibus, ditans multas partes mundi, precipue provintias Occidentis. Ex Istoria Anglicana habetur quod Bruto naviganti ad insulam Gades multe syrenes in mari apparuerunt, que transeuntibus inco-
 10 moditates multas intullerunt.
 15

356. INSULE DICTE GORGODES
 Ultra hanc insulam versus Occidens sunt insule dicte Gorgades, distantes a terra firma quantum navis potest currere in duobus <diebus>. Et sunt in opposito montis qui dicitur Vesper Acerus, et dicuntur insule Gorgades eo quod ibi Gorgones femine sunt nutritae, de quibus supra dictum est libro <<...>>, capitulo <<...>>.

357. INSULE HESPERIDES ET DE MALIS AUREIS
 Ultra has insulas sunt insule dicte Hesperides ab Hesperide civitate; et sunt site in intimo mari sub litore montis Athantaci. Et sunt tortuose in modum draconis dispositae; ubi sunt arbores similes oleastro et arbores intra aram sacratam Herculi, que fabulose dicuntur poma aurea. Et insu-

355 - 6. quo : que *B* 7. circumsepta : circumspecta *B* 10. quem : quam *B*
 356 - 3. diebus supplevi 4. Vesper Acerus *B* cum Bentio, recte Hesperuceras Soli-
 nus 56, 10-11 et Isid. Etym. XIV 6, 10 357 - 3. Athantaci, recte Atlantici

le posite in modum tortuosi draconis dicuntur pervigil draco custodiens aurea poma.

Ymago Mundi dicit quod in hac insula sunt oves habentes lanam albissimam, que summe valet ad purpuram. Unde dicitur quod ista insula habuit aurea mala, quia ‘malon’ interpretatur ‘ovis’.

10

358. INSULA DICTA MAGNA, MAIOR QUAM AFRICA ET EUROPA

Et dicit Ymago Mundi quod ultra has omnes insulas fuit insula dicta Magna, que secundum Platonem sua magnitudine vincebat Africam et Europam; que cum toto populo submersa est, ubi nunc est mare concretum.

5

Et nota quod in mari Occeano occidentali ulterius non invenitur aliqua insula. // (f. 276r) Unde ad insulas que sunt in vero Occeano, sicut se extendit linea equinoctialis, stillum convertamus. Et primo occurunt insule Fortunate.

359. DE INSULIS FORTUNATIS

Insule posite in vero Occeano ab Occidente dicuntur insule Fortunate, de quibus supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>, ubi agitur de insula Capraria et de insula Canaria.

360. DE DUABUS SYRTIS

Deinde eundo versus Oriens est quedam caribtidis dicta Minor Syrtes et alia maior dicta Syrtes Maior, que sunt site in opposito Libie. Hec continue atrahunt intus aquas ut evomant et evomunt ut iterum atrahant, de quibus supra dictum est eodem libro capitulo <<...>> et capitulo <<...>>.

5

361. DE CIVITATE ARIM QUE EST IN MEDIO MUNDI

Hinc sequitur civitas Harim in medio mundi posita, ad cuius situm astrologi tabulas composuerunt. Et dicitur quod est circumdata mari in modum insule.

Idem est de paradiso terrestri, de quo dicunt Beda et Strabus quod

5

est situs interiecto mari inter nos et ipsum, ex quo videtur quod sit insula.

In hoc mari sunt due insule nominatissime, scilicet Argira et Crissa, de quibus omnibus supra dictum est eodem libro capitulo <<...>>.

362. DE INSULIS UBI SUNT MULIERES MONSTRUOSE

Secundum quod dicit frater Athonus condam rex Armenie, in Occeano supra Oriens sunt insule innumerabiles que dinumerari non possunt, et sunt omnes plene auro et divitiis et lapidibus pretiosis. Est ibi una insula ubi sunt mulieres maiores XII cubitis et habent capillos longos usque ad terram, habent dentes longos sicut porci silvestres et caudas longas sicut boves.

363. DE ALIA INSULA UBI SUNT MONSTRUOSE MULIERES

In alia insula sunt mulieres albe et pulcre nimis, alte pedibus VII, et pedes sicut equus et capillos usque ad terram. Ibi est alia insula ubi sunt mulieres alte pedibus X, albiores nive, que in aquis natant sicut pisces et homines extraneos in aquis submergunt.

364. INSULA IN QUA NASCUNTUR PUERI CANI

In alia insula sunt mulieres que numquam generant nisi semel, et pariunt filios canos per totum corpus. Et vivunt per tempora longa nimis; et quando homines senescunt deponunt canos de capite et barba et fatiunt capillos nigros.

365. DE PLURIBUS INSULIS

In alia insula sunt homines dicti Sathyri, qui habent duo cornua sicut capra. Ibi sunt homines dicti Agrogates et Bragmanes, qui amore alterius vite ad quam de- // (f. 276v) -siderant ire proytiunt se ipsos in ignem, credentes se esse beatos in alia vita.

Ibi est alia insula in qua nascuntur oves albiores omni nive, maiores omni bove.

361 - 9. supra dictum est : supra dictum est supra B 362 - 2-3. in Occeano : quod in Occeano B 365 - 4. ire : ire quod B

Ibi est alia insula in qua est fons de quo si quis biberit unum ziatum dormit uno die, si duo duobus, si tres tribus, et sic de aliis.

Inter has insulas est insula Taprobane ceteris nobilior, de qua supra dictum est. 10

366. DE INSULIS EUNDO AB ORIENTE VERSUS OCCIDENTEM ET DE INSULA PERDITA

Ex parte Orientis descendendo versus Aquilonem, primo occurrit insula dicta Perdita, in qua sunt arbores aromaticae que numquam folia deponunt. Ibi nascuntur omnia genera fructuum, et sunt fructus nobiliores mundi; ibi est unus fons nobilis et magnus valde; ibi sunt lapides pretiosi sine numero. 5

Que insula est tante magnitudinis quod nullus umquam potuit scire mensuram eius; et dicitur paradixus deliciarum. Nam beatus Brandanus hanc insulam perambulavit XV diebus, et ibi erat medietas insule; et invenit flumen qui dividit insulam in duas partes, et prohybitus fuit ab angelo ulterius pertransire. Ad hanc venit beatus Brandanus navigando per octo annos et tullit de lapidibus illius insule. 10

Hanc insulam postea multi quesierunt et invenire non potuerunt: ideo dicitur insula Perdita. Ibi nullus infirmatur, nullus moritur. Et tempore Antichristi debet revellari christianis qui illuc debent fugere. 15

367. DE COLUMPNA DE CRISTALLO

Ibi descendendo versus Aquillonem in medio Occeano est una insula in qua est una columpna de cristallo alta per unum miliare, et est quadra et habet in quolibet quadro MCCCC cubitos. Est ergo eius grossities habens IIII^MVI^C cubitos. 5

Ibi iuxta invenit balenam tante magnitudinis quod crederetur esse una insula; super cuius dorsum fecerunt ignem; quod ut sensit tremuit quasi terremotus, et fugierunt omnes.

365 - 9. sic : si *B* 367 - 5. IIII^MVI^C cubitos, recte 5600 6. invenit, scil. *Brendanus*

368. DE PARADIXO DELITIARUM SIVE AVIUM

Iuxta hanc insulam est alia insula que dicitur paradixus delitiarum. Et dicitur paradixus avium quia beatus Brandanus illuc navigans invenit quod arbores numquam deponunt folia, prata et terra semper habent herbam virentem et mirabiliter odoriferam. Ibi erat arbor dempsa sed latissima in modum arboris savine, et in arbore erant aves candide sicut nix. Et de alis avium exibat sonus quasi sonus cythare, et cantabant horas noctis et diei. Et beatus Brandanus audivit eas cantare VIII diebus continuis, non manducans neque bibens propter dulcedinem armonie avium cantantium. Tandem una avis dixit quod erant demones non habentes penam sensus, sed tantum dampni, et in die iuditii erant salvandi. Unde versus:

Nos ex Deo sumus spiritus sine crimine nati.
 Exules in aere stamus a gloria patris
 15 non quia rebelles, sed tardi resistere primo // (*f. 277r*)
 angelo superbo, quem equa iustitia dampnat
 ut urat in tenebris eterno flamine foci.
 Nos tamen divina Christi clementia Patris
 In sedibus primis statuet cum venerit hora
 20 Qua vocet insontes et dampnet ad infima pravos.

Ubi est sciendum quod istoria ista fuit vera, sed aditio verbi dyaboli more suo fuit mendacium, quia impossibile est in inferno dampnatum non habere penam sensus, nec potest in inferno esse aliqua redemptio nec vox laudis divine.

369. INSULA UBI EST OS INFERNI

In alia insula apparuit beato Brandano unus mons magnus, qui totus erat ignis a radice usque ad sumitatem. In isto monte erant demones proygentes cum fornicibus carbones ignis in mare. Et videbatur quod totum mare arderet.

368 - 4. habent : habet *B* 23. penam : pennam *B* 369 - 4. fornicibus, *recte* forcipibus

Ibi est alia insula similis prime. Et dixit beatus Brandanus quod in utraque insula erat introytus ad infernum.

370. DE LAPIDE UBI SEDEBAT IUDAS PRODITORI

In Occeano erat quidam lapis maximus super quem sedebat Iudas proditor. Super capud eius erant due sufulcile ubi pendebat quidam panus. Et ait: «Lapis super <quem> sedeo fuit quidam lapis quem mali-
tiose posui in via in offendiculum transientium. Has furchas et pannum
fui furatus».

371. BEATA VIRGO APPARUIT BEATO BRANDANO

Cum autem beatus Brandanus apropinquaret insule Hybernie unde exiverat, et maximum pateretur naufragium, cunctis invocantibus plures sanctos, beatus Brandanus dixit monachis: «Cur non invocatis stellam maris, ut mare sedet seu quietet?». Tunc clamaverunt: «Ave maris stella» et cetera. Et statim beata Virgo apparuit beato Brandano et ait: «Precipio ventis et mari ut sileant». Et facta est magna tranquilitas in mari. Tunc beata Virgo precepit ut de sua conceptione facerent festum, quod et fac-
tum fuit.

372. DE INSULA UBI ERANT ALTARIA DE CRISTALLO

Ibi erat alia insula in qua erant XII monachi. In monasterio erant alta-
ria de cristallo, et ignis de celo in modum sagitte descendens lampades
habentes oleum incombustibile accendebat.

Ibi obviaverunt beato Brandano pueri vestiti albis et homines vestiti
iacinctis et alii induiti dalmaticis rubeis.

373. DE ETHIOPIA CHRISTIANORUM ET IMPERATORE ETHIOPIE QUI EST MAIOR NOSTRO IMPERATORE

Sicut supra dictum est, secundum quod dicit Ptholomeus, sub utroque tropico, videlicet Cancri et Capricorni sunt due Ethiopie. Et sub tropico Cancri circa Equinoctialem Ethiopia est duplex: una dicitur Orientalis, altera dicitur Occidentalis.

370 - 4. quem *supplevi* 371 - 3. invocanti-bus : invocantes *B* 7. sileant : sileat *B*
372 - 1. erant : erat *B*

In utraque Ethiopia sunt Ethiopes christiani. Eorum imperator dicitur imperator Ethyopum christianorum et sclavus // (f. 277v) crucis Christi, et communiter vocatur magnus imperator Orientis christianorum spata, qui est christianus et est maior dominus mundi, quia habet sub se LXXIII reges de corona, et ultra hoc habet plus quam CCC maximos barones; et sunt omnes isti reges christiani et baptizati, exceptis XII regibus qui sunt saraceni et adorant Bachometum.

Quando populi qui sunt sub regibus et principibus christianis baptizantur, statim post baptismum fit puer in fronte cum uno ferro calido unum signum, quod est signum proprium illius regis vel principis sub cuius dominio ille puer vel puella nata est. Et hoc fit ut quando sunt magni non possint fugere ad alium dominum quin cognoscatur, et tunc potest repeti et domino suo restitui.

Ex hoc manifeste concluditur quod ille imperator Ethyopum chistianorum est maior quam sit imperator chistianorum Occidentis, quia nos-
ter imperator non habet sub se nisi XXII reges de corona qui obedient
ipsi vel Ecclexie Romane. Insuper sunt alii reges christiani qui non obe-
diunt Ecclexie Romane vel imperatori Romanorum, numero octo.
Ergo reges christiani, tam obedientes Ecclexie quam inobedientes, sunt
in universo XXX reges christiani. Ergo ille imperator Ethyopum habet
sub se XLII reges de corona christianos plures quam imperator Roma-
norum habeat. Et ultra hoc habet sub se XII reges sarracenos de coro-
na.

Item est sciendum quod iste imperator continue pugnat contra Sar-
racenos et ubique subiugat ipsos et prosternit, sed non obedit Ecclexie
Romane, quia inter nos et ipsum sunt sarraceni qui non permittunt ali-
quem ex eis ad nos transire, nec nos ad illos transmeare.

Alia ratio quare non veniunt ad nos est quia inter nos et ipsos non
solum sunt sarraceni, imo sunt deserta maxima que in pluribus septima-
nis transiri non posunt nisi homo portet secum cibum et potum super
equos, tam pro se quam pro equis suis. Et illa deserta sunt plena arena
subtili quasi esset farina, et quando ventus perflat in arena fiunt procel-
le quasi ibi esset mare. Et si homo vel equus ibi caderet statim suffocare-
tur.

Hec scripta sunt in tractatu de Mappa Ianuensi quam composuit sacerdos Sancti Marchi de Ianua.

374. DE PAPA CHRISTIANORUM ETHIOPIE, QUI EST MAIOR NOSTRO

Est in ipsa Ethiopia christianorum non solum imperator christianus, imo similiter est ibi et papa christianissimus, satis maior et potentior quam sit papa Romanus. Quod sic patet: dicitur enim in Tractatu de Mapa supradicto quod illi christiani habent unum patriarcham qui dicitur Preytzan et recognoscit papam Romanum esse dominum suum; et est paratus obedire, si posset ad nos venire vel nuntios mittere, sed non potest propter causas supradictas. 5

Iste patriarcha habet sub se CXXVII archiepiscopos christianos; et quilibet archiepiscopus habet sub se XXI episcopos: ergo sunt in universo inter archiepiscopos et episcopos MMVI^CLXVII. Ex hoc connicetur quod ille patriarcha habet episcopos sub se M et centum vel id circa plures quam habeat papa Romanus. Et hoc sic probatur, // (f. 278r) 10
quia in libro qui dicitur Pontificale Ecclexie Romane non inveniuntur, inter archiepiscopos et episcopos obedientes Ecclexie Romane vel non obedientes, nisi VII^CLXXX vel id circa. Ex hoc manifeste concluditur quod christiani sunt plures ultra mare quam citra mare, et quod christiani sunt plures cunctis nationibus mundi, ut infra dicetur. 15

375. DE RITU ETHIOPUM CHRISTIANORUM

Ecclexie istius Ethiopiae in multis locis sunt cohoperite ex auro purissimo. Baptizant illi sacerdotes suos parvulos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sicut facit Ecclesia Romana. Cellebrant sicut et nos, hoc excepto quia dicunt Pater noster ante elevationem corporis Christi. Sacerdotes portant semper ad collum unum orarium plicatum; dyacones portant orarium extensem ante et retro in brachio sinistro; subdyacones semper portant manipulum in brachio sinistro. Et omnia ista fatiunt ut cognoscantur differentia inter eos, et homines seculares fatiant eis reverentiam secundum ipsorum statum et ordinem. 5 10

Habent in maxima reverentia beatam Virginem, et beatos apostolos Petrum et Paulum, et beatum Iohannem Baptistam, et beatum Paulum

15 primum heremitam, et beatum Antonium, et abbatem Macharium, et omnes alios heremitas qui fecerunt penitentiam in partibus illis. Item habent in magna reverentia omnes apostolos et spetialiter beatum Matheum, quia ipse primo predicavit Ethiopiam; item illum eunuchum regine Candacis quem beatus Philipus baptizavit, quia ipse fuit primus episcopus ipsorum.

376. DE LITTERA QUAM SCRIPSIT IMPERATOR ETHIOPUM REGI YSPANIE

5 Imperator istius Ethyopie imperii, in signum quod sit christianissimus, portat vexillum album et in medio vexilli est crux rubea et in quolibet quadro vexilli est una stela rubea. Sigillum eius habet sic scriptum: «Magnus imperator Ethyopum Orientis servus crucis Christi Yhesu». In omnibus suis litteris in principio facit tres cruces rubeas et in fine littere facit alias tres cruces. Et sigillat litteras suas aurea bulla.

10 Ipse enim anno Domini MCCC scripsit litteras istius tenoris quas portaverunt XXX ambaxiatores. Littera in principio habuit tres cruces rubeas, postea dicebat sic: «Fratri nostro magno regi Yspanie christiano-
rum Occidentis, imperator Ethiopum christianorum Orientis sclavus crucis Yhesu Christi, salutem et gaudium. Tibi scribo tamquam fratri,
15 recognoscens quod ex uno patre Adam nati sumus et quod ex uno fonte baptismatis renati sumus. Quia ergo multipliciter fratres sumus, scilicet secundum naturam et secundum gratiam, ideo debemus alter alterius onera portare, sicut dicit apostolus Paulus, ut sic adimpleamus Christi legem. Unde nos tibi significamus quod, sicut tu es spata christianorum Occidentis, ita et nos sumus spata christianorum Orientis. Et quia
20 ego extripavi sarracenos de latere meo, et XII reges sarracenorum gladio subiugavi et multos // (f. 278v) ad Christi fidem converti et baptizi-
zari feci, et modo in pace vivo et quiete, audiens quod multas habes guerras cum sarracenis tuis, ideo tibi mitto quod consideres si per aliquam viam, per mare aut per terram, possum tibi mittere subsidium, et
25 ego tibi prestabo magnum succursum. Bene valle in Christo».

Ista littera in fine habuit tres cruces rubeas et erat sigillata aurea bul-

376 – 15. sumus¹ : summus *B* 19. sumus : summus *B*

la. Rex autem Yspanie tunc temporis mortuus erat et nichil ulterius actum est. Tunc supradicti XXX ambaxiatores, invento quod rex Yspanie obierat, iverunt Avinionem ad pappam Clementem, qui ipsos docuit dicere missam Romano <more>, videlicet dicendo Pater Noster post elevationem corporis Christi, et multas litteras rescripsit illi imperatori Ethiopie.

30

Postea ipsi XXX embaxiatores iverunt Romam visitare corpora apostolorum Petri et Pauli. Postea iverunt Ianuam et ibi in scriptis dimiserunt multa de factis sue contrate, et illa omnia que nunc scripta sunt hic. Postea iverunt ad sanctum Iacobum de Galitia. Inde per mare redierunt in regionem suam.

35

377. QUOD SOLDANUS SARRACENORUM EST SUBDITUS CHRISTIANIS ETHIOPIE

Hic imperator christianus Ethiopie bellum indixit soldano sive imperatori Saracenorum et misit ei quosdam babuinios doctos archibus sagittas iacere et dixit: «Ex his babuynis tantum exercitum congregabo quod te cum toto tuo exercitu in campo superabo». Soldanus autem, nimis perterritus, statuit ei tributum singulis annis, et inter alia promisit christianos Ethyopie sine omni tributo ad Christi sepulcrum libere accedere, quod usque hodie servatur. Et sic patet quod imperator Sarracenorum est tributarius christianorum. Cum autem quadam vice embaxiatores istius imperatoris ad soldanum venirent pro tributo recipiendo et crucem Christi ante se deferri facerent, et introytu civitatis crux propter porte depressionem ingredi non posset nisi inclinaretur, embaxiatores crucem noluerunt inclinare. Unde oportuit quod porta civitatis frangetur, et sic crux erecta intravit ad locum ubi soldanus erat. Et istud fuit signum maxime servitutis Sarracenorum ad christianos Ethyopie.

5

10

15

Omnes autem peregrini Ethyopie qui ad Christi sepulcrum vadunt portant unam crucem ferream in manu et in fronte habent unam crucem factam cum uno ferro calido.

30. more *supplevi* 377 - 7. perterritus : preterritus *B*

378. QUOD IANUENSES IVERUNT IN ETHYOPIAM

Non solum ex ipsis ad nos pervenerunt supradicti embaxiatores, imo etiam ex nostris aliquando ad ipsos transierunt, prout ipsi XXX embaxiatores in civitate Ianuensi narraverunt.

Certum est enim quod anno Domini MCCLXXXX due galle 5 Ianuensium, in quibus erant plus quam VI^C viri christiani et aliqui clerici <...>. Et ipsarum galearum admirati sunt dicti Ubertus de Savigno et <<...>>. Hii transierunt per strictum Yspanie et navigantes mare Athlanticum pervenerunt ad Ethyopiam que est ultra Equinoctiale. Et cum deficerent eis // (f. 279r) victualia, descenderunt ad terram et cuncta que inveniebant diripiebant, eo quod fame perirent. Et capti fuerunt et ducti sunt ad imperatorem Ethyopie supradictum; qui audito quod essent christiani et subditi Ecclexie Romane, ipsos libenter vidit et multum ipsos honoravit et posuit eos in magnis officiis. Et numquam redierunt Ianuam, quia per mare non fuerunt ausi redire propter pericula que nullus homo poset cogitare; nec per terram potuerunt redire quia Sarraceni sunt in medio, qui totis viribus prohybent quod christiani non vadant in Ethyopiam nec Ethyopes veniant ad nos, timentes ne ligam facerent contra Sarracenos, quia Sarraceni omnes essent mortui. Embaxiatores supradicti imperatoris Ethyopie qui fuerunt in Ianua, qui 10 15 20 viderunt ipsos Ianuenses in Ethyopia, ista narraverunt.

Explicit ystoria Ethyopie.

379. ORIGO REGNI Iudeorum in PERSONA REGIS SAULIS

Habrael sive etatis tertie anno VIIII^CXXI, ab initio mundi MM-VIII^CLXXXX, ab egressu Israel de Egipto anno CCCCXVI, post conditum Mediolanum anno VIII^CLI, primus ex Hebreis rex post iudicium tempora cepit regnare in populo Hebreorum sive Iudeorum. Saul per Samuelem sacerdotem inunctus est in regem semel et secunda vice. Pater eius dictus est Chis de tribu Begniamim. Fuit enim vir iuvenis, bonus et humilis, maior homine ab humeribus sursum. Et regnavit secundum Ieronimum annis XL, ex quibus regnavit cum Samuele sacerdote summo annis XVIII. Sed Iosephus dicit quod regnavit cum

378 - 7. lacuna suspicata sum post clerici 8. spatium vacuum relictum (fere 18 litterarum) in B

Samuele annis XXXVIII, et mortuo Samuele regnavit solus annis duobus. In cuius morte terminata fuit etas tertia, habens annos VIIIIC^{XL}.

380. QUOD DEUS IRATUS DEDIT Iudeis REGEM

Sic rex Saul invenitur factus rex a Deo, et in Dei displicantiam et Deo comminante. Unde dicitur in libro primo Regum, capitulo VIII^o, quod cum peterent filii Israel sive Iudei regem sibi dari, hoc displicuit in oculis Samuelis sacerdotis, et tunc dixit Deus Samueli: «Audi vocem populi et da eis regem. Non enim te abitierunt, sed me, ne regnem super eos». 5

Cum autem Saul de genere rusticano diu quesivisset asinas Chys patris sui, ingressus Ramatha ubi erat Samuel summus sacerdos, ipse Samuel accepta lenticula olei in regem Israel inunctus fuit. Et iterum in Masphat per eundem Samuelem sortibus temptatis iterum electus in regem et inunctus fuit vice secunda. 10

Ubi est notandum quod Saul, licet adeo esset rex institutus, non tamen statim administravit iura regalia: imo expectavit quod prius inungeretur et fierent circa eum solemnitates quas dignitas regalis exposcit. De quibus solemnitatibus habetur in libro Regum, capitulo primo. Ex hoc excluditur error quorundam imperatorum qui voluerunt imperialia iura administrare antequam sint inuncti per manus summi pontificis. 15

Primum enim bellum istius regis Saulis fuit contra Amonitas. Cum enim // (f. 279v) Naas rex Amonitarum Iudeos affligeret et captis oculum destrum erueret, Saul cum Samuele sacerdote congregavit exercitum, in quo fuerunt de tribu Iuda LXX^M virorum, de ceteris tribubus VII^{CM}, et transito Iordane interfecit regem Naas et multos alios. Et tunc Samuel sacerdos iterum secunda vice ipsum inunxit et regem ipsum esse secunda vice denuntiavit. Et ex tunc rex publica ad regum iura conversa est. 20

Item Saul rex interfecit ex Palestinis LX^M hominum. Et <cum> Amonitas et Moabitas et Palestinos et Ydumeos cum ipsorum rege sub iure belli subiecisset, et Samuel ex Dei mandato precipisset regi Sauli quod Agag regem Amalechitarum interficeret et omnes Amalechitas et 25

380 - 10. temptatis : temporatis *B* 26. cum supplevi

30 mulieres et parvulos et iumenta cum peccudibus, quoniam ipsi similia fecissent Hebreis in deserto, et spopondisset, et ipsos superatos interficisset, sed regem Agag propter corporis pulcritudinem reservasset, dixit Deus: «Me penitet quod Saul institui regem», et in signum ire Dei in tonitruo Samuelle invocante audivit: «Unde regnum eius dabitur alteri».

35 Tunc Samuel summus pontifex interfecit regem Agag; et tunc rex Saul ascendit in Gaba et ulterius non vidit Samuelem.

381. GENERATIO SAULIS REGIS

Saulis regis genus fuit tale. Quidam vir nomine Abiel de tribu Beniamin natus fuit, qui genuit duos filios, scilicet Ner qui genuit Abner, et Chys qui genuit regem Saulem.

5 Rex Saul genuit quatuor filios quorum nomina sunt hec: Ionathas, Yesuy, Melchisur et Hysboseth. Item genuit duas filias, scilicet Merob et Michol. Ista Michol fuit uxor David.

10 Item Ionathas filius regis Saulis primogenitus genuit filium qui dictus est Ysboseth sive Iebus, secundum Iosephum, qui fuit claudus utroque pede; et mortuo Saule anno suo, cum esset annorum XL, factus fuit rex in Ierusalem et regnavit annis duobus.

Item Saul rex habuit concubinam nomine Respha cum qua concubuit Abner, et propter hoc reprobatus fuit ab Ysboseth.

Hec omnia in subiecta patent figura.

[Figura 48]

382. QUOD DEUS REPROBAVIT REGEM SAULEM ET ELLEGIT DAVID // (f. 28or)

5 Reprobato itaque Saule eo quod iuxta condictum Samuellem summum sacerdotem in sacrificio VIII diebus non expectasset et contra Dei preceptum Agag regem non interfecisset, iusit Deus Samueli ut David filium Ysay sive Yesse inungeret in regem Israel. Quod et factum est.

Deinde psalendo regem Saulem a dyabolo vexatum mittigavit, propter quod eius armiger factus est. Cum exercitus Pallestinorum con-

tra Saulem adveniret, fuit inter eos nomine Goliath de civitate Seth, cuius statura fuit quattuor cubitorum et palmi unius; lorica eius habuit eris V^M sycolorum, asta habuit ferri VI^C, que fuit pondus destere magni viri. Contra istum David pugnavit, quia cum fonda lapidem in fronte infixit et usque ad cerebrum pertransivit et capud eius abscidit; et omnis exercitus Pallestinorum difugit. Et quia mulieres cantabant quod Saul percussisset multa milia Palestinorum et David multa dena milia, turbatus Saul ipsum David a priori officio amovit, et secundum Magistrum ipsum chyliarcham instituit.

Et cum iuxta condictum portasset ante Saul CC preputia sive capita, secundum Yosephum, dedit rex Saul Michol filiam suam licet invitus. Tandem Saul, invidia contra David stimulatus, ipsum lanzea confodere voluit. Item astutia Michol uxoris sue ponentis statuam in lecto, manus satelitum Saulis evasit. Ionathe filio Saulis exercenti se sagittis fedus init. Rex autem Saul in odium David CCCC sacerdotes et prophetas interfecit, propter quod eius filios radicitus extirpavit.

Inter hec Samuel summus sacerdos obiit, et <in> Ramatha urbe sua cum summo honore sepultus fuit.

383. QUOD SAUL CONSULUIT PHYTONISSAM ET DE MORTE EIUS

Mortuo Samuele summo sacerdote, Palestini iuxta civitatem Sommam castrementati sunt. Tunc Saul mulierem phytonissam, matrem Abner consanguinei sui germani, consuluit de eventu prelii. Que cum esset phytonissa, id est haberet scientiam suscitandi mortuos, animam Samuelis evocavit, qui apparuit in forma viri senis gloriosi qui erat circundatus palio sacerdotali. Qui dixit regi Sauli: «Quia contra Dei preceptum Agag regem vite reservasti, a Deo es derelictus et die crastina ab hostibus interficeris cum filiis tuis». Die sequenti rex Saul in hostium incursu coruit. Cuius capud puer Amalechites precidit et coronam de eius capite abstulit et David atulit; quo viso David iussit illum puerum interfici. Et planxit mortem regis Saulis soceri sui et filiorum eius.

Et tunc finita fuit etas tertia habens annos VIIIICXL.

382 - 21. astutia : austitia *B* 25. summus : sumus *B* ~ in *supplevi*

384. DE ENEA SILVIO REGE YTALIE

Isto tempore, Latinus Eneas Silvius, filius Lavinii Silvii Postumi, filii regis Enee, regnavit in civitate Laurentia annis XXXI. Cepit autem regnare, secundum Eusebium et Paulum in Eutropio et Ieronimum, ante Christi adventum anno MCVIII, // (f. 28ov) ante Rome constructionem CCCCLVIII, post Troye destructionem anno LXXXIII.

Hic rex Latinus Eneas Silvius secundum Eusebium dictus est Latinus Eneas Silvius. Hic genuit filium qui secundum Tytumlivium et Eutropium dictus est Latinus Silvius. Et refert Benzius quod alii libri posuerunt quod tertio loco post Eneam regnavit Silvius Latinus, frater uterinus Postumi, et quarto loco ponitur Silvius Eneas supradictus. Quere supra, eodem libro capitulo CCIII, ubi ponitur arbor regum Latinorum.

385. INCIDENTIA TEMPORIS LATINI ENEE SILVII

Eodem tempore, in regno Albanie sive Albanorum regnabat Latinus Eneas Creusius, ex Creusa avia sua denominatus, a quo cuncti reges Albanorum cognominati sunt Creusii, sicut a Silvio Silvii et a Cesare Cesares. De isto natus est Latinus Silvius Creusius.

Item in regno Campanie regnabat Silvius, de quo natus est Butes.

Item in civitate Engleria regnabat Anglus, filius Aschanii, filii Enee.

Item in Thuscia superiore, que nunc dicitur Lombardia, regnabat Aschanius Iunior.

De quibus omnibus supra dictum est, eodem libro capitulo CCXVIII.

Secundum Gayfredum in Ystoria Anglicana, tempore Samuelis prophete et Omeri poete et tempore Silvii Enee regis Ytalie, Locrinus Brutus regis Anglie primogenitus regnum paternum accepit; et duxit in uxorem Glodoneam, filiam Corinei ducis Cornubie, de qua genuit filium qui dictus est Madan.

Contra istum Locrinum venit Humer rex Humnorum, qui iam totam Germaniam devastaverat, et invasit insulam Scotie, que Albania diceba-

388 - 14. an audivit corrigendum, vel Neptunus supplendum ante odivit?

tur, et expulit Albanicum de Scotia. Et Locrinus rex Anglie expulit de Scotia; qui submersus in fluvio nomen fluvio dedit, qui dicitur fluvius Humer. 20

Tandem Locrinus rex sprevit Glodoneam uxorem suam. Quod ipsa male tullit, et congregans exercitum suum virum interfecit in campo, anno regni sui decimo, et regnum optinuit annis XV; et postea tradidit regnum Madan filio suo, quem rex Locrinus genuerat. 25

386. ORIGO REGNI LACEDEMONIORUM ET DE CIVITATE LACEDEMONA

Tempore quoque Saulis regis Iudeorum, regnum Lacedemoniorum exortum est. Ubi est sciendum quod secundum Eusebium, anno XX Saulis, Eurifeus primo rex factus fuit, qui regnavit annis XLII. Ubi per reges VIII regnatum fuit annis CCCXV. Fuit autem finitum istud regnum anno Azarie sive Ozie regis Iuda XLVIII. 5

Dicitur autem in Libro de Provintiis et Civitatibus quod civitas Lace-demonia dicitur a Lacedemone filio Semele. Deinde quidam dictus Sparta, filius Foronei, filii Ynachi primi regis Argivorum, eam instauravit et ex suo nomine Spartam nominavit. Unde Sparta et Lacedemonia idem sunt. 10

De prima constructione istius civitatis et quare dicta est Sparta habetur supra, eodem libro capitulo LIII. Hec Vicentius. // (f. 281r)

387. ORIGO REGNI CORINTHORUM

Eodemque tempore regnum Corinthorum exortum est; ubi primo factus fuit rex quidam Aletis nomine, qui regnavit annis XXXV. Et regnatum est per reges XII annis CCCXVIII. Finitum autem fuit istud regnum Corinthorum anno XLVIII Ozie regis Iuda. Et tunc incepit regnum Lydorum, ut dicetur infra in locis suis. 5

De civitate autem Corintho, sive Epyra vel Ephyra, habetur supra, eodem libro capitulo LIII.

388. DE OMERO PHYLOSOPHO ET EIUS MISERABILI MORTE

Tempore quoque Saulis regis Omerus claruit, licet Ysidorus dicat quod claruit tempore Hely iudicis Israel. De isto Omero est maxima dissonantia inter auctores. Tandem Vicentius, Benzius, Apolodorus, Eufor-

5 bius dicunt quod claruit temporibus Saulis regis.

Civitas istius Omeri dicta est Smyrna in provintia Frigia, ut dicit Solius.

Fuit autem Omerus cognominatus Plato et, ut habetur in Libro de Vita Philosophorum, magnus corpore, pulcre forme, grosus capite, remissus in colore, inter humeros strictus, variolarum signa in vultu insignitus.

Duos libros scripsit. Unus dictus est Yliades, quia ibi agitur de factis Ylii, id est Troye, alter dictus est Odissa, ubi agitur de Ulixis erore quem odivit. In quibus multa sunt scripta que convenient Christo; unde conscriptus fuit liber qui dicitur Omerocentonas. Fuit autem versificator maximus, quem omnes versificatores Grecorum in suis versibus sunt imitati. Unde Valerius Maximus nominat eum vatem celestis nature. Sibilla dicit eum fuisse mendacem et falsa scripsisse, sicut habetur supra, eodem libro capitulo CLXXII.

20 Fuit enim venditus in servum; et phylosophi Athenienses dicunt eum fuisse insanum, quia, cum esset in navi et quandam questionem sibi factam solvere nesciret, pre verecondia se ipsum in mare precipitavit, sicut dicit Gregorius Nazanzenus super illo verbo Apostoli: «Sapientia huius mondi», et cetera.

25 Vixit autem Omerus annis CVIII.

389. DE VIRTUOSA MORTE CHODRI REGIS ATHENIENSIS

Valerius Maximus scribit libro V^o quod tempore regis Saulis in regno Atheniensium regnabat quidam dictus rex Codrus, cuius tempore civitas Athenis ab hostibus obsideri cepit. Tunc Chodrus rex consuluit Apollinem quomodo hostes superari possent; qui respondit hoc fieri potest si Chodrus rex hostium manu occideretur. Quod cum hostes audiverunt, preciperunt ne quis regem Chodrum tangeret. Sed Chodrus, depositis insigniis imperialibus, privatum habitum induit et inter hostes vadens unumquemque falce percussit. Tunc hostes ipsum interfecerunt, et sic civitas Atheniensis ab hostibus libera fuit.

10 In morte istius Chodri, secundum Vicentium, regnum Erichtiarum

389 - 5. possent : posset B 9. unumquemque : unumquemquam B

finitum fuit. Et sicut dicit Agustinus, tunc Athenienses sublato dominio
re- // (*f. 28IV*) -gum habere ceperunt magistratus.

EXPLICIT LIBER TERTIUS




Figura 1




Figura 2




Figura 3




Figura 4




Figura 5




Figura 6




Figura 7




Figura 8




Figura 9




Figura IO




Figura II




Figura 12




Figura 13




Figura 14




Figura 15




Figura 16




Figura 17




Figura 18




Figura 19




Figura 20




Figura 21




Figura 22




Figura 23




Figura 24




Figura 25




Figura 26




Figura 27




Figura 28



Figura 29



Figura 30




Figura 31




Figura 32




Figura 33




Figura 34




Figura 35




Figura 36




Figura 37




Figura 38




Figura 39




Figura 40a




Figura 4ob




Figura 40C




Figura 4I




Figura 42




Figura 43




Figura 44




Figura 45




Figura 46




Figura 47




Figura 48

